CONTROVERSIÆ INTER THEOLOGOS VVITTENBERGENSES

DE REGENERATIONE ET ELECTIONE DILVCIDA EXPLICATIO D. D. EGIDII HVNNII, POLYCARPI LEYSERI, SALOMONIS GESNERI, &c. cum refutatione argumentorum, quæ D. SAMVEL HVBERVS pro defensione suæ opinionis hactenus in medium attulit.

STVDIO ET OPERA HOMINIS LITERATI, PIETATIS, VERITATIS & tranquillitatis Ecclesiæ studiosi in lucem edita.

FRANCOFORTI AD MOENVM,
excudebat Ioannes Spies.

M. D. XCIIII.

D. IOANNI SPIESSIO, TYPOGRAPHO FRANCOFVRT. S.

ORnatißime vir, Multi boni viri explicationem Controuerſiæ illius nouæ inter Profeſſores VVittebergenſes de Regeneratione & Electione Dei generali hactenus mecum deſiderârunt, & moræ impatientes pagellas aliquot hinc inde collegerunt, quæ iſtam quidem litem attingunt, ſed plenè non explicant. Incidi autem ſtatim poſt nundinas noſtras in hanc explicationem, quæ & ſolida eſt, & vt ex certis veſtigijs marginalibus & interlinearibus apparet, ab ipſis autoribus proficiſcitur.

Hanc ſi tuo prælo ſubiecerîs, facies & mihi & omnibus veritatis ſtudioſis rem gratam, & vniuerſæ Eccleſiæ vtilem. D. D. Hunnius & reliqui eius collegæ ob bonum publicum ægrè ferre nec poſſunt nec debent, quòd ipſis inſcijs & inconſultis horum ipſorum Scriptum in lucem prodeat. Intelligo etiam alibi eius argumenti exemplaria viſa eſſe. Sed ego huic exemplo, quod mitto, ob adhibitam ab autoribus cenſuram, plus fidei tribuo.

Quòd ſi vel per otium vel alias cauſas nobis hoc tempore gratificari non potes, exemplar mihi quamprimùm remitte, vt illud vel à nobis deſcribi, vel alibi excudendum mitti poſſit. In Domino vale. Scripſi Micholſtadij feſtinanter, 4. Idus Aprilis. 1594.

T. H.

Studioſiß.

M. Samuel Lautenbach.

EXPLICATIO CONTROVERSIAE INTER D. SAMVELEM HVBERVM ET COLlegas eius, Theologos Academiæ VVitebergensis.

Principiò sciendum est, quæ capita sint inter nos & D. Huberum extra litem, quæ vicissim in disceptationem venerint.

Extra controuersiam sunt hęc.

DEVM seriò velle, vt omnes homines salui fiant, & ad agnitionem veritatis perueniant, 1. Timoth. 2. Quod de vniuerso genere humano contra Caluinistarum blasphemias vtrinq; intellectum vólumus: Quemadmodum & reliqua Spiritus sancti testimonia, vt Viuo ego, nolo mortem impij, sed vt impius conuertatur & viuat, Ezech. 33. Nolo mortem morientis, Ezech 18. Non vult Dominus, vt VLLVS percat, sed vt OMNES ad pœnitentiam recipiantur, 2. Pet. 3.

II.

Deum misisse Filium suum toti mundo, & Filium factum esse propitiationem pro peccatis, non nostris tantùm, sed etiam TOTIVS MVNDI, 1. Ioh. 2. Et esse agnum Dei tollentem peccatum mundi, Ioan. 1. Itaque nullum vnquam fuisse hominem, nec futurum, pro cuius peccatis non sanguinem suum fuderit Christus, adeò vt etiam pro reprobis & pereuntibus mortuum ipsum esse Scriptura palàm affirmet, 1 Cor. 8. 2 Pet. 2.

III.

Meritum Filij offerri seriò omnibus hominibus. Prædicare Euangelium OMNI CREATVRAE, Marc 16. Nunc

præcipit Deus hominibus, vt OMNES VBIQVE resipiscant, Actor 17. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ, Esai. 45. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, Matth. 11.

His extra omnem disceptationem positis.
Nunc in certamine versantur ea, quæ sequuntur.

In controuersia primum est:

An, quemadmodum voluntas illa Dei, satisfactio Filij, & promissiones Euangelij sunt vniuersales, sic quoq; vniuersalis dicenda sit electio, ita vt statuatur, Deum pariter & ex æquo omnes homines elegisse ad vitam æternam.

Affirmat Huberus: negamus nos cæteri ipsius Collegæ. Rationes, quas affirmato suo prætendit, paulò pòst confutabimus ordinè.

Interim hoc expediendum primò est: Cùm vtrinq; constet de vniuersali voluntate Dei erga salutem hominum, deque generali illa Dei dilectione, cuius Christus Iohan. 3. meminit: an non generalis hæc dilectio & voluntas benefica Dei possit appellari electio, atque sic asseri, DEVM elegisse ad vitam æternam vniuersum mundum?

R. Equidem animus nobis non est de verbis siue phrasibus (quando res ipsa manet salua, nec aliquid periculi subest) cum quoquam digladiari; ideoq; litem non mouemus ijs qui eam, de qua diximus, misericordem Dei voluntatem impropriè & καταχρηστικῶς nominârunt electionem Quia verò D. Huberus in ea est sententia, quòd omninò Scriptura doceat vniuersalem electionem propriè sic dictam, adeò vt ad salutem omnes homines verè PROPRIE & VNIVOCE prædestinatos & electos esse scribat; nec vult agnoscere vllo pacto se impropriè locutum esse, quòd infideles etiam, Turcæ, &c. sint electi: sed potiùs ipsa illa loca, quę de prædestinatione

tione ex professo tractant, velut Ioan. 7. Rom 8. Ephes. 1. Similiter 2. Thes. 2. 1. Pet. 1. & 2. de totius mundi electione ad vitam æternam absurdissimè interpretatur. Econtra verò dissentientes, ac præcipuè nos Collegas suos Caluinismi accusare publicè præter omne meritum nostrum non erubescit: non possumus non in Ecclesia Dei nos purgare, & simul in subsidium laborantis veritatis admonere, quid periculi sit sub hoc nouo loquendi genere, quo non tantùm statuitur totum mundum esse ad vitam æternam electum, sed etiam iustificationem fingit generalem, qua totus mundus coram Deo iustificatus sit, remisso & ex æquo omnibus hominibus condonato peccato: Quin insuper generalem adoptionem, generalem quoque omnium hominum sanctificationem, regenerationem hypocritarum per baptismum profano corde susceptum, aliaq; consimilia, de quibus ordine disseremus.

CAPVT I.

DE ELECTIONE

Cur autem hoc genus loquendi, hanc phrasin de electione seu Prædestinatione ad salutem generali, minùs commodam iudicemus, mouent nos rationes sequentes:

I. Quia caret omni prorsus Scripturæ sacræ testimonio: quod paulò pòst inductione omnium locorum, quæ de electione vel prædestinatione agunt, ad oculum demonstrabitur.

II. Quia testatur experientia, hanc ἀκυρολογίαν à D. Hubero vsurpatam dedisse ansam horribilium calumniarum vt aduersarij, penè propter vnius Huberi phrases, toti nostræ Ec-

clesiæ imputarent, doceri à nobis Electiouem & Prædestinationem ad vitam æternam talem, sub cuius complexu inclusi Liteant Cain Iudas, Nero, Heliogabalus, aliaque portenta potiùs quàm homines. His criminationibus quia deformatur doctrina, offenduntur simplices, abalienantur qui lucrifieri poterant: meritò ea præfertur & vrgetur ὑποτύπωσις sanorum verborum, quæ criminationibus istius modi obnoxia non est. Neque est vt dicat aliquis, non esse hic respiciendum ad aduersarios, vt qui etiam rectissimè quæq; dicta soleant deprauando corrumpere & peruertere. Non equidem ignoramus hoc. Sed interim videndum est, ne sine causa gignendo & defendendo phrases cum sana verborum forma minùs congruentes, ipsi subministremus aduersariis occasiones calumniarum, fratribus verò scandalum ponamus. Et scimus non tantùm à datis, sed etiam quantum fieri potest, ab acceptis offendiculis esse cauendum.

II. Minùs etiam videtur vtendum ea phrasi, qua de nunc loquimur, posteaquam Franciscus Puccius in fraudem & detrimentum totius Christianæ fidei profanum dogma suum ex hoc falso principio vniuersalis cuiusdam omnium hominum electionis & in librum vitæ inscriptionis extruxit.

IV. Et quid opus est, hac locutione noua recedere à veteri doctrina præceptorum nostrorum, Lutheri & aliorum præstantissimorum Theologorum Augustanæ Confessionis, qui Electionem nullam docuerunt, pertinentem ex æquo ad vniuersos mortales, sed hanc, quam nos docemus, spectantem solos credentes, & in fide ad finem vsque perseuerantes. Et quorsum prodest, improprias accersere locutiones, cùm suppetant propriæ? Nihil certè istis ἀκυρολογίαις efficitur, quàm quòd articulus ipse obscuratur, & æquiuocationibus inuoluitur, vt, quos scriptura verè electos nominet, minùs perspicuum sit.

V. Ad-

V. Adhæc quia & subscriptione & iuramento sumus astricti ad retinendam doctrinam, consensu Ecclesiæ approbatam, & in libro Concordiæ propositam, magnum meritò nobis esse debet argumentum, cur Electionem non vniuersaliter ad omnes homines extendamus, sed particulariter ad solos fideles Dei filios. Ita namq; habet Epitome Libri Concordiæ: Prædestinatio seu æterna Dei Electio TANTVM ad bonos & dilectos Dei filios pertinet. Et mox: Verbum Dei deducit nos ad Christum. Is est liber ille vitæ, in quo omnes inscripti & electi sunt, qui salutem æternam CONSEQVVNTVR. Sic enim scriptum est: Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Et rursum: In Christo igitur electio æterna Dei Patris est quærenda. Is in æterno suo consilio decreuit, quòd præter eos, qui Filium eius Iesum Christum agnoscunt, & in eum verè credunt, NEMINEM saluum facere velit.

Porrò liber ipse Concordiæ sic ait: Æterna Electio seu Prædestinatio Dei ad salutem NON SIMVL ad bonos & ad malos pertinet, sed TANTVM ad filios Dei, qui ad æternam vitam consequendam electi & ordinati sunt, priusquàm mundi fundamenta iacerentur, vt Apostolus testatur, inquiens: Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Et rursum: Quare NEQVAQVAM sentiendum est, vt paulò antè monuimus, eos etiam in ELECTORVM numero habendos, qui Verbum Dei contemnunt, repellunt, execrantur atq; persequuntur, &c.

Electio vniuersalis est respectu omniũ verè & perseueranter credentiũ: Particularis autem respectu Mudi.

Cùm igitur hæc sit recepta & subscripta harum Ecclesiarum doctrina; teneamus voluntatem Dei quidem, qua vult omnes homines saluos fieri, esse vniuersalem, Electionem verò non vniuersalem omnium hominum, sed omnium credentium, atq; sic respectu Mundi particularem.

Nam vt & hoc attexam, constat Electioni sua quædam

vniuer-

vniuersalitas, non verò quæ sese porrigat ad infideles & impœnitentes homines aut populos, sed ad OMNES verè in Christum Iesum credentes. Cuiusmodi vniuersalitas inest dulcissimis his promissionibus verè Euangelicis: OMNIS qui credit in eum, non perit, sed habet vitam æternam, Ioannis 3. Et Ioan. 6 Amen dico vobis, QVICVNQVE credit in me, habet vitam æternam. Rom. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in OMNES & super OMNES eos, qui credunt. Et Rom. 9. OMNIS, qui credit in eo, non pudefiet. Has propositiones esse verè vniuersales qui negat, is ad rudimenta Dialectices ablegandus fuerit: quantumuis eæ non omnes promiscuè homines, sed omnes credentes ambitu suo complexæ sunt: quod addita illarū determinatio infallibiliter ostendit. Hac ipsa vniuersalitate spectante OMNES in Christum Iesum verè credentes, dicimus & Electionem verè esse vniuersalem: Particularis autem dicitur, non quòd alia quædam sit Electio vniuersalis, cuius relatione hæc particularis appelletur, vt D. Huberus ἀπαιδεύτως arguit, haud aliter ac si quisita colligat ex dicto Christi: Pauci sunt electi: Ergò omnes sunt electi: quod esset contra leges Dialectices, à particulari ratiocinari ad vniuersale. Sed particularis dicitur, quia non ad omnes HOMINES, sed ad hos tantùm refertur, qui sunt in Christo Iesu Domino nostro. Itaque siue grammaticum significatum spectes, constat Electioni hæc particularitas, quia non totus mundus, sed pars mundi, nempè qui credunt, sunt electi: siue iuxta præcepta Dialectices æstimare velis propositionem Christi: Pauci sunt electi, & Pauli enunciationem: Non multi sunt electi, (1. Cor. 1) particularem eam esse propositionem, non vniuersalem, in confesso est. Eius verò siue ὀλιγότης siue particularitas vniuersalitati promissionum non contrariè opponitur, vt Calumniatæ factitant. sed ὑπαλλάξως subiicitur.

Et sanè si vniuersalis illa Dei misericordia & voluntas esset causa totalis constituendæ hominum electionis; nec accederet aliud συναίτιον siue concausa alia, quæ restrictionem efficeret: tùm sanè, quemadmodum voluntas illa Dei vniuersalis est, & totum genus humanum spectat: sic eadem ratione vniuersalis quoque dicenda foret electio.

Iam verò quia generalis illa dilectio misericordiaque Dei non est causa totalis, sed ad constitutionem diuinæ prædestinationis requiritur insuper alia, nempe Christus, in quo facta est electio, Ephes. 1. & quidem Christus, non vt absq; fide cōsideratus nobis ad salutem ociosus est, sed vt fide apprehenditur: hinc fit, vt idem de electione, quod de Dei misericordi voluntate statuere in hoc negotio fas non sit.

Res alio exemplo fiet dilucidior. Misericordia illa & συμπαθὴς, dilectioque Dei non minùs est iustificationis causa, quàm electionis, Ephes. 2. & alibi. Et certè si esset causa totalis, ita vt ad efficiendam iustificationem aliæ causæ non requirerentur; omninò tàm latè pateret Iustificatio, quàm latè patet ea Domini misericordia gratuitaq; voluntas. Iam verò accedūt causæ aliæ, quæ iustificationem strictiorem reddunt, quàm sit illa generalis dilectio & misericordia Dei, vtpote cuius non nisi per fidem homo compos euadit.

Hinc etiam perfacile est respondere ad id, quod de Intentione Dei nobis obuertitur. Quando enim sic arguitur: Intentio Dei erat in æterno ipsius beneplacito, vt totus eligeretur mundus: Ergò totus mundus electus est. Indiget antecedens Enthymematis aliqua explicatione; neque enim ita simpliciter admitti potest. Nam quia Dei electio facta est κατὰ πρόγνωσιν, 1. Pet. 1. & verò præcognouit Deus in æterno suo proposito, plerosq; non credituros esse: ideò liber Concordiæ rectè statuit, aduersum hos esse potiùs intentionem

hanc, vt ob hoc ipsum non eligantur, sed tanquam contemptores gratiæ Deiiudicentur & damnentur.

Deinde connexio Enthymematis hiulca est, cùm à sola intentione non liceat argumentari ad constitutionem effectus, quia ex insufficiente enumeratione causarum non procedit argumentum. Aliâs ex instituto Ministerio eiusq; singulis partibus euincere promptum foret, omnes homines conuerti & saluari, hoc modo: Deus instituens Ministerium reconciliationis, & iubens Euangelium prædicari toti mundo, Marc. 16. intentionem suam eò dirigit, vt totus conuertatur & saluetur mundus. Ergò totus mundus conuertitur & saluatur.

Item, Baptismus ordinatus est, vt ratione intentionis ac institutionis Dei sit lauacrum regenerationis. Ergò regenerantur omnes, non tantùm infantes (de quibus certum est, quòd regenerentur) sed etiam Hypocritæ, qui in sua hypocrisi baptizantur in ætate adulta.

Similiter: Deus dirigit & destinat Sacramentum Cœnæ Dominicæ eò, vt hoc conuiuio pascantur homines ad vitam æternam. Ergò omnes, qui hoc Sacramento vtuntur, pascuntur eo ad vitam æternam, nec quisquam ad iudicium manducat aut bibit. Sunt meri paralogismi ex insufficiente causarum enumeratione enati.

Et quid attinet duas tradere siue electiones, siue prædestinationes ad vnam vitam æternam? Vniuersalem vnam, particularem alteram, quarum vtraque facta sit ab æterno, quarum vna, nempe vniuersalis, possit irrito euentu euacuari, altera verò, quam nos docemus, constet ἀμεταμελήτως: priore scribat DEVS in librum vitæ omnes homines, posteriore verò consignet eos tantùm, qui in Christum Iesum crediturierant: & vicissim deleat ob præuisam infidelitatem eos, quos generalis illa Dei prædestinatio inscripserat. Qua ratione Deus

Deus fingeretur eos homines (reprobos fidelicet) abæterno sine vlla intermissione & inscripsisse vi generalis prædestinationis, & expunxisse, vi reprobationis infidelitatem eorum respicientis: quasi verò vlla cogitanda sit prædestinatio, quæ non facta sit iuxta præcognitionem ad fideles, sed cæco quasi arbitrio ad omnes quoquo modo se habentes; cùm tamen indubitatum sit, Deum κατὰ πρόγνωσιν (vt Petrus ait) prædestinasse eos, quos PRAESCIVIT, Rom. 8, quos videlicet præscierit in Christum Iesum ad finem vsq; crediturosesse. Quemadmodum hanc præcognitionem Dei Diuus Augustinus tractatu 42. in Ioannem, eleganter & eruditè nobis explicatam reliquit.

Etsi, sepositis præconceptis opinionibus, velimus tantas res æstimare recto iudicio: fateamur necesse est, scripturam agnoscere vnam tantùm Dei Prædestinationem ad vnam vitam æternam, eamq; sic in verbo Domini descriptam, vt ad eos, qui vel nunquam crediturí, vel non vsque ad finem perseueraturi erant, referri nequeat.

Ipsa certè vox electionis hoc palàm ostendit, significans quiddam ex numero, multitudine, cœtu siue cumulo seligere & segregare. Hanc significationem grammaticam vocabuli nemo repudiare debet, vtpote Mosis simul & Christi approbatione, in hoc ipso doctrinæ capite luculentissimè assertam & stabilitam. Moses quidem ait Deut. 7. Te elegit Dominus, vt sis ei populus peculiaris de CVNCTIS GENTIBVS terræ, Similia dicta legũtur Deut. 10. 26. 32. vt & 1. Reg. 8. Tu SEPARASTI eos tibi in hæreditatem DE VNIVERSIS POPVLIS TERRAE. Christus porrò Ioan. 15. vrget itidem grammaticum hoc significatum, dicens: Ego ELEGI VOS DE MVNDO. Et cœpta est in nostris Ecclesiis hæc phrasis, quòd Deus EX GENERE HVMANO sibi eligat & colligat æternam Ecclesiam.

Argumentum primum, Electionem non promiscuè ad omnes homines referri.

Eligere explicatur per Separare.

2. Argumentum. Præterea testantur id etiam tituli, quibus orthodoxi Scriptores, siue veteres, siue recentiores, hunc de electione Articulum insigniunt, appellantes non Electionem omnium hominum, sed electionem vel prædestinationem SALVANDORVM, SANCTORVM, CREDENTIVM. Nec poterit Huberus vllum ostendere, qui huic articulo vnquam hunc titulum fecerit, vt polliceretur, se dicturum de electione totius humani generis.

3. Argumentum. Matt. 20. & 22. 1. Cor. 1. Et Christus ipse semel atq; iterum affirmat, multos esse vocatos, sed paucos electos. Christo suffragatur Paulus, asserens, Deum non multos elegisse sapientes secundum carnem, non multos potentes & claro genere natos. Paucitatis verò istius causam non residere in voluntate Dei, sed in hominibus, alibi demonstratum est. Nec simpliciter reprehendimus in aduersarijs, quòd Electionem particularem esse docent: sed quòd causam paucitatis electorum in ipsum Deum, eiusq; decretum absolutum, quod de plærorumque damnatione factum somniant, flagitiosè reijciunt: tùm etiam quòd electionem suam restringunt ad has vel illas personas, simpliciter & indeterminatè consideratas, quas conuerti & saluari absolutissimè sit necesse.

4. Argumentum. Et quia electionem nostram in Christo fundatam, nosq; in ipso electos esse Paulus docet, Ephes. 1 quî possunt ergò haberi in electorum censu ij, qui in Christo non sunt? In Christo autem num quisquam est absq; fide? Non igitur vniuersorum est electio, sed credentium duntaxat, & per fidem manentium in eo.

5. Argumentum. Et quid ad hoc confirmandum thema vel potentius afferri potest vel illustrius, quàm quòd Christus ita lucidè discernit inter mundum & electos? puta quòd inquit Ioan. 15. Ego elegi vos de mundo. Et Ioan. 17. quoties discernit inter mundum & electos? Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti

dediſti mihi de mundo. Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi. Non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Hæc aliaque multa palàm ſegregant electos ex reliqua infidelium & impiorum hominum colluuie: & non totum mundum eſſe electum, ſed ex toto mundo credentes in Chriſtum electos eſſe liquidiſſimè comprobant.

Vnica illa D. Pauli catena rem totam expeditam dare queat, cùm ait: Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit, hos & glorificauit. Ergò prædeſtinatiad vitam nulli ſunt, niſi præſciti (fore ipſos in Chriſto per fidem) κατὰ πρόγνωσιν, 1. Pet. 1. prædeſtinati nulli ſunt, niſi qui & vocati, ideoq; extra cœtum vocatorum ſiue Eccleſiam non ſunt quærendi electi. Rurſum prædeſtinati nulli ſunt, niſi & iuſtificati: Denique prædeſtinati non ſunt, niſi qui tandem glorificantur. *6. Argumentum.*

Adhæc, quoscunque Scriptura nominat electos & prædeſtinatos, de his omnibus effatur, quòd ad fidem Ieſu Chriſti perueniant. Iuxta hæc perſpicua teſtimonia Iohannis 6. OMNE quod dat mihi Pater, veniet ad me. Ioan. 10. Vos non creditis (inquit Chriſtus ad Iudæos) quia non eſtis ex ouibus meis, quemadmodũ dicebam vobis: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et paulò priùs: Ego cognoſco oues meas, & cognoſcor ab illis. Similiter Actor. 13. Crediderunt: QVOTQVOT præordinati erant ad vitam æternam. Hoc adeò verum eſt, vt Paulus Theſſalonicenſes ſcribat electos eſſe ἐν τῇ πίστει τῆς ἀληθείας in fide veritatis, 2. Theſſ. 2. hoc ipſo innuens, fidem eſſe electionis arcano inclusam; non quidem ratione ſuæ dignitatis & meriti, velut in nobis hærens eſt quædam virtus aut qualitas, ſed vt extra ſe quaſi egrediens, Chriſtum Ieſum vt æternæ noſtræ prædeſtinationis petram apprehendit. Hinc Tit. 1. fidem ceu propriam no- *7. Argumentum.*

Fides non ratione propriæ dignitatis eſt electioni inclusa, ſed ratione Chriſti ſine quo agnito & apprehenſo electio locum non habet.

am notam electorum assignat, nominans fidem ELECTORVM Dei.

Vnde hoc rursum nobis emergit argumentum: Fides est electorum Dei, Tit. 1. & quidem OMNIVM electorum, quod allegata testimonia docent. Iam verò fides non est omnium hominum, 2. Thess. 3. Ergò non omnes homines sunt electi, PROPRIE præsertim, vt Huberus imperitissimè contendit.

3. Argumentum.

Præterea, OMNES *electi saluabuntur.*

At non omnes homines saluabuntur.

Ergò non omnes homines sunt electi.

Maior huius Syllogismi, præterquam quòd ex priùs allegato dicto Rom. 8. euidens est: Quos prædestinauit, hos & GLORIFICAVIT: probatur insuper ex illustri testimonio Daniel 12. In illo tempore saluabitur populus tuus, OMNIS, qui inuentus fuerit scriptus in libro. Idcirca quos scriptura nominat electos, eosdem appellat in cœlo cõscriptos, Lu. 10. Heb. 12. appellat hæredes regni, Iac. 1 quibus paratum est regnum ab initio, Matth. 25 qui hæredes erunt salutis, Heb. 1. Et quos Paulus Rom. 9. reliquias nuncupat SALVANDORVM, iuxta illud Esa. 10. Si fuerit numerus filiorum Israël, vt arena maris, RELIQVIAE SALVABVNTVR: Eos idem Apostolus vocat reliquias secundum ELECTIONEM gratiæ, Rom. 11. Quæ collatio scripturarum, ceu digito indice demonstrat, eosdem esse electos, qui sint & saluandi, & econtrà.

9. Argumentum.

Argumentum propè simile ex alijs non minùs illustribus Scripturæ dictis extruitur, hoc pacto.

Quicunq; sunt electi, non pereunt in æternum, sed in fide perseuerant vsque ad finem.

Multi autem pereunt, nec in fide perseuerant.

Ergò multi (suâ culpâ) *non sunt electi.*

Maior

Maior fundata est Matth. 24. vbi dicitur, Impossibile esse, vt electi in errorem inducantur, id est, vt in errore, fundamentum salutis euertentes, perseuerent & pereant. Indicat ergò Saluator, eos esse electos, qui aduersus omnem seductionem errorum in vera fide manent fundati & stabiles. Sic Iohan. 6. Hæc est voluntas eius, qui misit me, Patris, ne quid perdam EX OMNIBVS, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea.

Et de electis Paulus Rom. 8. sonora voce prædicat: non posse illos separari à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro: SOLIDVM enim stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui, 2. Timoth. 2.

Certè si in timore Dei scrutemur in sacris literis, eæ nobis definiunt Electionem & prædestinationem Dei non talem, quæ irrito euentu euacuari, & fine quem intendit, defraudari queat: sed Electionem talem, quæ vltimum finem, salutem animarum assequitur, atque sic à prima sua origine (quæ est gratia Dei) per ordinata media ad finem ipsum perducitur. Ideò enim electio ab ipso fine denominatur prædestinatio seu Præfinitio, græcè προόρισμὸς. Si finis non sequitur, sed interuertitur, amittit nomen & definitionem, vt non sit προόρισμὸς siue præfinitio & ad finem prædestinatio. *10. Argumentum.*

Habemus huiusce rei indubium testem, Paulum Apostolum Romanorum vndecimo, dicentem: Quid igitur? quod quærit Israël (nempe salutem) hoc non assecutus est: ELECTIO autem ASSECVTA EST, cæteri verò excæcati sunt. Habemus & Diuum Apostolum

Petrum

Petrum asserentem, eos, qui secundum præcognitionem Dei Patris electi sunt, virtute Dei custodiri per fidem ad salutem, & reportare finem fidei, salutem animarum, 1. Pet. 1.

11. Argumentum. Vbicunque etiam reliquiarum fit mentio, indicatur aperta separatio à reliqua multitudine. Electi autem dicuntur RELIQVIAE secundum ELECTIONEM gratiæ, Rō. 11. dicuntur semen sanctum, RELICTI in Zion, RESIDVI in Hierusalem, Esai. 4. empti ex hominibus, primitiæ Deo & agno, Apocal. 14. Ergò separati sint oportet à reliqua reproborum & infidelium & impœnitentium multitudine: Et per consequens, cōtra doctrinam Spiritus sancti docetur, si quis etiam infideles electis accenseat, maximè si, vt Huberus facit, contendat, omnes homines, etiam infideles, PROPRIE esse electos.

12. Argumentum. Sed pergo: *Nulli electi statuentur in nouissimo die ad sinistram Iudicis: nec per sententiam suprem Iudicis Christi relegabuntur cum Diabolis in ignem aternum.*

Omnes autem impœnitentes & increduli statuentur ad sinistram, & ibunt in ignem aternum.

Ergò, Nulli finaliter impœnitentes & increduli sunt electi.

Qui Maiorem syllogismi negat, is confundit disiunctissimos duos cœtus electorum & damnandorum: imò reijcit commune & pervulgatum Christianorum votum, quo hactenus amicis suis piè in Christo defunctis beatam resurrectionem CVM OMNIBVS ELECTIS precari consueuerunt. Id votum corrigendum erit, si ex dogmate de omnium hominum electione Huberiano, etiam hi censendi sunt electi, qui resurgent ad damnationem, qui cum Diabolis cruciabuntur in æternum.

Vt autem veritas propositionis Maioris in syllogismo nostro liquidiùs eluceſcat: notanda sunt rursum Spiritus sancti testi-

testimonia. In descriptione nouissimi iudicij legitur, quòd missurus sit Christus angelos suos, vt congregẽt ELECTOS eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum, Matth. 24. Atque hos ipsos Electos nominat cap. 25. oues, à dextris statuendas, planè sicut Ioan. 10. per oues suas Christus electos notauit. Vicissim de damnatis, qui ad sinistram stabunt, & in ignem æternum ibunt, affirmat Scriptura, ipsos non esse Electos aut scriptos in libro vitæ. Apocal. 20. Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis.

Accipe verò & hoc argumentum. *13. Argumentum.*

Omnes electi sanctificantur in tempore.

Impœnitentes, præsertim qui sunt extra Ecclesiam, non sanctificantur in tempore:

Ergò tales impœnitentes non sunt Electi.

Maioris quidẽ tiam probat Esaiæ dictum cap. 4. Omnis qui relictus fuerit in Zion, & residuus in Hierusalem, SANCTVS vocabitur, OMNIS qui scriptus est in vita in Hierusalem.

Extrui etiam potest non contemnendum argumentum pro sententia nostra, ex Coloss. 3. *14. Argumentum.*

Electi Dei sunt induti viscera miserationum, comitatem, modestiam: mansuetudinem, lentitatem, &c.

Tales non sunt impœnitentes.

Ergò nec impœnitentes sunt electi.

Rursum: *Omnes electi Dei sunt filij Dei.* *15. Argumentum.*

Nulli, qui finaliter in peccatis perseuerant, sunt filij Dei.

Ergò nulli finaliter impœnitentes sunt electi.

Maior firmatur authoritate Epistolæ ad Rom. cap. 8. vbi eosdem illos nominat Electos, quos priùs in eodem contextu appellauerat filios, clamantes Abba Pater: expectantes adoptionem, redemptionem corporis sui. Deinde liquet

etiam ex cap. 1. Epistolæ ad Ephesios. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum. Iam verò solis credentibus obtingit illa potestas filios Dei fieri, nimirum his qui credunt in nomen Christi, Ioan. 1. Ergò hi soli sunt prædestinati & electi ad vitam æternam.

16. Argumentum. Quicunque destituuntur veste nuptiali, non sunt habendi pro electis. Infideles omnes destituuntur veste nuptiali. In electorum ergò numero haberi nequeunt, quamdiu sunt & manent infideles. Maior patet ex parabola Matth. 22. vbi de Hypocrita, quòd non esset indutus veste nuptiali, sententia fertur reprobationis & electionis in exteriores tenebras; addita hac ipsa ratione, quia multi sint vocati, PAVCI verò ELECTI.

17. Argumentum. De Electis clamat Apostolus Rom. 8. Quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat.

Hinc sumitur inexpugnabile hoc firmamentum doctrinæ nostræ.

Electi Dei sic iustificantur, vt eis crimina intentari amplius non possint.

At infideles nec iustificantur (destituti quippe fide in Christum, quâ solâ iustificantur homines) *nec reputantur illorum crimina, vt non intententur: subducti enim manent & obnoxij æternæ damnationi, Ioan. 3.*

Absurdum igitur est, eos, qui fide carent, reponere in classem Electorum, absurdius verò dicere, quòd etiam tales electi sint ad vitam electione propriè sic dicta, sicut perpetuò ingeminat. D Huberus, omnes simpliciter homines dici electos, non impropriè, sed propriè.

18. Argumentum. *Omnes electi sunt scripti in librum vitæ* (electum enim esse, & inscriptum esse in vitæ librum, extra controuersiam coincidunt)

Iam

Tales verò homines impij, pugnantes aduersus Christum, non sunt scripti in librum vitæ.

Ergò non sunt Electi, & per consequens falsum sit oportet, quòd omnes homines sint electi.

Minor aperto nititur testimonio Apocalypseos cap. 17. Mirabuntur super bestiam inhabitantes terram, quorum nomina NON sunt scripta in libro vitæ, à CONDITO MVNDO.

Præterea si indiscretè omnes pariter homines essent electi & prædestinati ad vitam æternam, locum habere non posset antithesis, quam scriptura ponit inter electos & non electos. Cùm verò scriptura liquidò discernat inter electos & non electos: vtique testatur non indifferenter omnes, sed peculiariter eos solos esse electos, qui in filium Dei credunt. Antithesis hæc manifesta est ex sequentibus: Vt Matth. 24. distinguitur per Antithesin inter reprobos seductores, Pseudoprophetas & PseudoChristos, & inter ELECTOS, qui se in errorem illorum non patiuntur induci. Sic Ioan. 10. Vos non creditis, quia non estis de ouibus meis. Iohan. 13. Non de omnibus vobis loquor, scio QVOS elegerim. Roman. 11. Quid igitur? Quod quærit Israël, non assecutus est, Electio autem assecuta est: Cæteri verò (qui sub electione propter incredulitatem non continentur) excæcati sunt. 2. Thessalonicens. 2. posteaquam disseruerat de pereuntibus, propterea quòd non crediderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam: confestim addit per luculentam antithesin: Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit nos Deus ab initio ad salutem. Non minùs illustris est antithesis, Electos à non electis apertissimè disterminans, in 2. Epistola ad Timotheum 2. capit. de quorum numero est Hymenæus & Philetus, qui circa veritatem aberrârunt, & 19. Argumentum.

dicentes, resurrectionem iam esse factam, & subuertunt quorundam fidem. (Hæc de reprobis: nunc sequitur de Electis) Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui. Sic 1. Petri. 2. iis qui non credunt, lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic cœpit esse caput anguli, & lapis, in quem impingitur, & petra ad quem offenditur, nempe his qui impingunt in sermonem, neque credunt in id, ad quod & instituti fuerant. Hæc de reprobis. Sequitur nunc per Antithesin: Vos autem genus ELECTVM, regale sacerdotium, gens sancta, &c.

Hæ aliæque consimiles antitheses, quarum plena est Apocalypsis Ioannis, de signatis aliis, aliis non signatis, de scriptis in librum vitæ nonnullis, nonnuilis verò non scriptis, &c. arguunt palàm, non omnes homines prædicari posse electos, sed necessariò differentiam inter hos, & inter reprobos (suâ tamen culpâ reprobos) esse seruandam.

2o. Argumentum. Denique quia Paulus tradit etiam de reprobatione & reprobis, quos Deus abiicit propter finalem eorum impœnitentiam, & dilucidè inter vasa misericordiæ & vasa iræ discernit, certè si vniuersalis omnium hominum statuenda foret Electio: manifestæ falsitatis rea ageretur doctrina Pauli de reprobis: quemadmodum vicissim stante doctrina de reprobatione infidelium, concidat necesse est Huberi dogma, de omnium hominum, etiam non credentium, prædestinatione ad salutem. Cùm enim & Electio & huic opposita reprobatio facta sit ab æterno, ita vt Liber Concordiæ dicat, Deum in eodem illo æterno consilio suo (quo credentes in Christum saluare constituit) decreuisse, quòd eos, qui verbum contemnunt, & Spiritus sancti gratiam repellunt, &c. indurare, reprobare & damnare velit: Certè quòd homines (ob

præui-

præuisam infidelitatem) huic reprobationi subiacent, tot iam à Prædestinationis gratia (propter hanc incredulitatem suam) sunt separati. De iisdem autem istis reprobis dicere, ab æterno fuisse prædestinatos ad salutem per vniuersalem Electionem, eosdemq; ab æterno esse reiectos per reprobationem modò dictam, est verè statuere ἀνιφανῆ, & æternæ illud prædestinationis arcanum notoriâ & in meridie expositâ contradictione conuellere.

Trita iam pridem & recepta in Scholis harum regionum est hæc regula: Extra cœtum visibilem Ecclesiæ seu vocatorum non esse somniandos electos. Quam regulam Huberus voâliturâ delere cupit, pronuncians electos propriè, vt ipse loquitur, etiam eos, qui sunt extra Ecclesiam, extra cœtum vocatorum, imò qui cœtum istum vocatorum & Ecclesiam Iesu Christi furenter & hostiliter oppugnant. Hanc regulam de Electis extra cœtum vocatorum non quærendis, discunt nostri pueri in Scholis, ex Dialectica Philippi Melanthonis. Nam in tractatione secundæ figuræ Syllogismorum legunt ista: Tantùm in cœtu vocatorum sunt electi, id est, qui electi sunt, necesse est in cœtu vocatorum esse, id est, baptizatorum & amplectentium Euangelium. Hinc extruitur hic Syllogismus, qui doctrinam & consolationem dulcissimam continet:

21. Argumentum.

Cam *Tantùm in cœtu vocatorum sunt electi*, vt Paulus inquit: Quos elegit, hos & vocauit.

es *Nulli Mahometistæ sunt in cœtu vocatorum.*

tres. *Ergò nulli manentes inter Mahometistas sunt electi.*

Et hęc quidem sunt nostræ sententiæ argumenta.

Vicissim ostendat Huberus VNVM tantùm Scripturæ testimonium quo Electionis aut Electorum vocabulum (de Electione ad salutem intellectum) complectatur omnes promiscuè & indifferenter homines: & non potiùs solos eos, qui

per antitheſin opponuntur reprobis, reprobis verò non ex abſoluto Dei decreto, ſed per & propter finalem præuiſam infidelitatem & impœnitentiam reprobatis. Quòd ſi vllum proferet teſtimonium, quo cunctis ſub Sole mortalibus, etiam nunquam crediturís in Filium, aptetur Electio vel Electorum titulus: nos ne tantillùm quidem amplius contrà mouebimus.

Locus enim Eph. 1. reſtringitur ab ipſo Paulo ad ſanctos & fideles in Chriſto Ieſu, & definitur ibi Electio reſpectu Chriſti, Chriſti verò agniti & per fidem appræhenſi. Quæ verò de voluntate illa Dei, de dilectione & φιλανθρωπία Dei erga omnes homines adducit, reſponſum ſuprà eſt: Non eſſe cauſas & effecta confundenda, nec argumentandum ex cauſarum enumeratione inſufficiente. Loquatur D. Huberus cum Scriptura, & voluntatem Dei nominet voluntatem, dilectionem dilectionem, nec confundat ea, quæ etſi ſuo modo coniuncta ſunt, neceſſariam tamen diſtinctionem flagitant.

De Electione acturus non tranſponat eius terminos, nec terminum, ſeu potiùs fundamentum, à quo oritur Electio, commutet cum termino, ad quem ea tendit: nec miſceat principium & finem, ſed ſuo quæque loco & ordine permanere ſinat. Hoc poſtremum ideò monemus, quia ſolenne ei eſt, Prædeſtinationem appellare Electionem ad gratiam, vocabulo Gratiæ fucum facturus lectoribus. Plauſibilior enim videtur ei, & ad ineſcandos ſimplices accommodatior hæc locutio, qua omnes homines ad gratiam Dei prædeſtinatos & electos ait. Hanc fallaciam, vt aperiamus, tenendum, gratiam Dei (ſi ex fundamento Scripturæ loquamur) non eſſe Electionis ſeu Prædeſtinationis finem ſeu terminum, ad QVEM fertur Electio, ſed potiùs eſſe principium, cauſam & fontem, A QVO promanat & oritur Electio. Itaque ex gratia Dei, tanquam noſtræ in Chriſtum Præ-

Prædestinationis principio, sumus prædestinati ad finem Electionis, qui est salus & vita æterna, & filiorum Dei hæreditas in regno cœlesti: Ideoq; Prædestinatio græcè προόρισμὸς nuncupatur, id est, præfinitio, ducta appellatione à fine, quòd Prædestinatio à gratia Dei ortum trahens, per media sua ducatur, & dirigatur ad finem vltimum hunc, qui est ex parte Dei, gloria ipsius, ex nostra verò parte, vita æterna.

Hinc apparet, quid respondendum sit ad obiectum simile D. Huberi, cùm ait: Non potuisse à Deo totum mundum diligi, nisi totus mundus ad hanc dilectionem Dei esset electus & prædestinatus: itaque Electionem πύξει præcedere Dei dilectionem. Hîc verò D. Huberus rursum miscet causam & effectum. Dilectio enim illa Dei non est effectus Electionis, sed potiùs eiusdem causa, ideoque πύξει prior, adeò vt, omnibus sanis Theologis suffragantibus, Electionis eædem statuantur esse causæ, quæ & Iustificationis, inter quas dilectio gratiaque Dei principatum tenet, vt prima & suprema causa nostræ ad vitam Prædestinationis. Impingit autem simul D. Huberus ad priorem scopulum, confundendo Terminum A QVO, & terminum AD QVEM, sicut paulò priùs est ostensum.

Ex fallacijs eius est & hæc, quòd, vbicunque vel ex Scriptura, vel Scriptoribus Ecclesiarum opponuntur ei dicta, quæ Prædestinationem docent ad solos perseueranter & ad finem vsque credentes in Filium pertinere: Respondere illicò solet, ea dicta tantum agere de Electione speciali, nec euertere propterea vniuersalem; ideoque consequentiam ex testimonijs Spiritus sancti astructam in Thesibus Doctoris Hunnij putat egregiè elidi suo Pythagorico NEGO. Quia scilicet Doctor Huberus negat, ideóne in ipsius negatione simpliciter acquiescendum? At non aduertit

neruum argumentationis, quòd ego (Hunnius) per inductionem in meis Thesibus ostendo, vbicunque tandem in omni Scriptura Electorum ad salutem vlla occurrat mentio, semper (semper inquam) solos notari verè credentes, secluso abeo titulo incredulis, quam diu tales sunt & manent, nec posse dissimile exemplum reperiri vspiam.

Procedit ergò mea inductio ex sufficiente enumeratione astructa, & stat inuictum, quòd scriptura promiscuam illam & indeterminatam Electionem omnium pariter hominum, etiam nunquam crediturorum, penitùs ignoret. Itaq; quoties distinguit inter vniuersalem & specialem Electionem; totiès peccat Elencho petitionis principij. Incumbit ei hoc probandum priùs, quòd vllibi talis in Scriptura doceatur credentium iuxtà & non credentium prædestinatio ad salutem. Etenim cùm tàm multa tradantur in Scriptura de Electione, Prædestinatione, Electis, Prædestinatis, &c. fieri non poterat, quin alibi perspicuè tradidisset Spiritus sanctus vniuersalem illam, omnesq; homines pronunciasset electos; si verum esset, quod tantoperè contendit D. Huberus.

Intentio. Cæterùm quid ille amplius suæ opinioni prætexat, dispiciendum est. Et quidem quod attinet argumentum de Intentione, est id in superioribus abundè refutatum. Perstrinximus verò etiam id, quod de dilectione affertur: Sed obiter.

Nunc ex professo id hoc loco diluere placet.

Dilectio & Electio. D. Huberus sic argumentatur:

Electio tàm est generalis, quàm Dilectio.

Dilectio Dei extendit se ad totum mundum: Sic enim Deus dilexit mundum, Ioan. 3.

Ergò & Electio se extendit ad totum mundum.

Respondemus per distinctionem. Duplex prædicatur in Scriptura dilectio Dei: vna est generalis, qua complexus est Deus totum hominum genus, ita vt vniuerso mundo Filium

mitteret,

mitteret, qui pro totius mundi peccatis satisfaceret. Hęc verò dilectio quia per & propter incredulitatem apud maximam mundi partem locum non inuenit; fit, vt nec aliqua hinc noscatur totius mundi Electio: præsertim cùm dilectio illa Dei non sit causa totalis electionis. Proinde neque Christus hoc dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium suum daret, vt omnes simpliciter homines, siue credant siue non credant, habeantur pro electis. Non sic Christus: sed ita: Vt omnis, QVI CREDIT in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Deinde verò est alia dilectio, quæ est specialis IN DILECTO, filijs Dei vnicè peculiaris & propria, Ephes. 1. ad quam & fides requiritur, Apostolo teste, Ebræ. 11. Impossibile est Deo placere sine fide. Hanc dilectionem in dilecto Paulus cum adoptione in filios coniungit, vt & Iohannes υἱοθεσίαν illam solis ijs assignat, qui recipiunt Christum, & in homen eius credunt, Iohan. 1. Hac singulari dilectione, quæ est in CHRISTO Iesu, Domino nostro, Rom. 8. vel IN DILECTO, Ephes. 1. complectitur Deus hos, quos inuenit in dilecto, per fidem. Et hæc dilectio electorum filiorum Dei non euacuatur, sed ad finem vsque perducitur. Sicut scriptum est Ioan. 13. Cùm dilexisset SVOS, qui erant in mundo, VSQVE AD FINEM dilexit eos. Hęc dilectio specialis, quia causas omnes Electionis implicat, nempe charitatem Patris, & Christum, in quo diligimur, tùm fidem, qua sola placemus Deo in Christo: ideoq; eiusdem est cum electione latitudinis, & ad verè credentes pertinet.

Esse hanc distinctionem in Scriptura fundatam, negari non potest. Nam & allata testimonia confirmant illam absq; controuersia, & Paulus ad Rom. 5. sole clarius illã asserit. Distinguit enim inter charitatem Dei, qua complexus nos est, cùm adhuc essemus peccatores & inimici: & inter eam, qua iustificatos

E.5.24

catos & reconciliatos amplectitur, & hanc posteriorem, quã iam vt filios prosequitur homines iustificatos, incomparabiliter alteri generaliori præfert: Commendat, inquit, charitatem suam erga nos Deus, quòd cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.

MVLTÒ igitur MAGIS iustificati nunc sanguine eius seruabimur per eum ab ira. Nam si, cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij eius: MVLTO MAGIS reconciliati seruabimur per eum ab ira. Itaque non generali, quæ se ad Turcas etiam, & alios infideles populos extendit, sed huic restrictæ, quæ filiorum Dei est, principatus ille absoluendæ constitutionis & efficientiæ prædestinationis ad vitam æternam assignatur. Quotiescunque igitur Huberus ait, nos negare, Deum dilexisse totum mundum, toties scito, ipsum malitiosè nostram hanc allatam distinctionem supprimere: Quotiesautem scribit, Deum totum mundum diligere IN DILECTO, TOTIES illum Apostolico textui vim facere manifestam, indubitatò statue.

Sequitur aliud argumentum: in quo maximè videtur præsidium suæ causæ collocare D. Huberus.

Quicunq; sunt inscripti in librum vitæ, hi etiam sunt Electi;
Omnes autem homines sunt inscripti in librum vitæ.
Ergò etiam omnes electi.

Inscriptio in librum vitæ.

Syllogismi huius propositio maior indiget explicatione: Minor autem aperta falsitate laborat. Ad maiorem ita respondemus, esse æquiuocationem in phrasi. Nonnunquam enim & hi dicuntur inscripti in libro viuentium, qui per Sacramentum initiationis inseruntur Ecclesiæ seu populo Dei, quemadmodum trita & peruulgata locutio est: Nos per Baptismum inscribi in librum vitæ, & referri in tabulas fœderis. Quæ insertio, quòd in tempore fiat, & quidẽ in Ecclesiæ cœtu, res ipsa luculenter arguit. Hęc verò inscriptio temporalis

in

in Ecclesiam militantem, non est simpliciter eadem cum altera illa inscriptione in Ecclesiam triumphantem AETERNA, quæ cum prædestinatione seu Electione ad vitam æternam coïncidit. Sed, vt diximus, fit illa insertio ad Baptismum in tempore, rursumq; per impœnitentiam potest aboleri, vt qui fuerant insiti oleæ populi Dei, hi rursum excindantur per incredulitatem, Roman. 11. Qui Christo per fidem fuerant implantati, si infrugiferi esse incipiant, tollantur ex eo, amputentur & tanquam resecti palmites inutiles forâs proijciantur, Ioan. 15. Quando autem phrasis sumitur de inscriptione illa æterna, certum est, eam aliud nihil esse, quàm Dei gratuitam Electionem, seu prædestinationem ad salutem. Sed hoc sensu accepta propositione maiore, protinus apparebit notoria falsitas Minoris, quæ asserit, omnes homines esse æterna Dei Prædestinatione in librum vitæ connotatos.

Eam verò quia probare nititur D. Huberus quibusdam dictis Scripturæ: Videamus, ecquid ponderis habeant ipsius argumenta: Initiò profert locum Exod. 32 cùm inquit Moses ad Dominum: Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro, quem scripsisti: Cui respondet Dominus: Qui peccauerit mihi, eum delebo de libro meo. Deinde illud Psalmi 69. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Tùm verba Epistolæ ad Hebræos cap. 12. Accessistis ad concionem primogenitorũ, qui conscripti sunt in cœlis, &c. Videte ne aspernemini eum, qui loquitur, nam si illi non effugerunt, qui auersabantur eum, qui loquebatur in terra, multò magis nos, si eum, qui de cœlis est, auersemur.

Ad primum respondemus, rectè negare Dominum, Mosen deletum iri, vtpote qui ex verè credentibus & electis erat, nec par erat eum ob alienum peccatum à populo perpetratum, deleri. Cùm autem ait: Qui peccauerit,

uerit, hunc delebo de libro meo: planum est ex Psalmo 69. quid sit deleri ex libro vitæ: nempe cum iustis planè non scribi: Ita enim Psalmista; Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Est ergò in argumento D. Huberi Elenchus phraseωs: cumque Metaphorica sit locutio, penes nos non erit, vt ex arbitrio eam interpretemur, sed audienda Spiritus sancti interpretatio, cui deleri de libro viuentium idem est, quod non inscribi. Et hanc esse veram interpretationem, patet ex Apocal. 17. vbi de hominibus reprobis legitur, ipsos (quò ad æternam illam Dei inscriptionem & electionem) nunquam fuisse inscriptos inde ab origine mundi: Mirabuntur, inquit Iohannes, super bestiam, inhabitantes terram, quorum nomina scripta non sunt in libro vitę A CONDITO MVNDO. Et quæ absurditates emergant ex hac gemina inscriptione æterna, seu electione & prædestinatione gemina, dictum est in præcedentibus.

Iam quòd Autor Epistolæ ad Hebræos inquit: Accessistis ad eos, qui conscripti sunt in cœlis: hoc tantùm vult, ipsos fide in Iesum Christum sese aggregasse fidelibus & electis, dummodò videlicet ita pergant. Si enim non persistant in inchoato bono, non fore illos ex electis, quantumuis ad tempus fuerint inter credentes & renatos: sed ita, vt rursum excindi potuerint, Rom. 11.

Locus Ephes. 1. Cæterum ad euincendam generalem illam Electionem abutitur etiam Apostoli dicto, Ephes. 1. Elegit nos in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi. Thesi 754. Hic enim, ait Huberus, loqui Paulum VNIVERSALITER de OMNIBVS hominibus, nemine hominum prorsus illo Dei decreto à Christo excluso, sed omnibus hominibus inclusis in decreto & Filio, communi Redemptore generis humani. Sic autem ex dicto Paulino arguit: Quoscunque suâ Epistolâ Paulus alloquitur, eos omnes complectitur hac voce: Ele-

git

gitnos in ipso. Alloquitur autem totam Ephesiorum Ecclesiam sine vlla discretione verè credentium & hypocritarum. Ergò omnes hi pronunciantur in Christo Iesu electi. Respondemus: Si maximè totum ei cõcederemus argumentum, tamen ageret illud tantùm de vocatis, & nondum euicisset Huberus principale suum thema, Electionem etiam extra cœtũ vocatorum ad omnes pertinere, nemine hominum (vt ipse loquitur) excluso. Quia Syllogismus iste de populis & hominibus non vocatis ne gry quidem sonat.

Syllogismus D. Huberi.

I.

Deinde ostendat nobis D. Huberus vel vnum interpretem, qui hanc Epistolam Paulinam ex professo enarrans, conatus saltem sit hanc sententiam ad vniversum mortalium genus referre. II.

Tertiò ipsum hunc locum formula Concordiæ in articulo Prædestinationis allegans, disertissimè refert ad solos filios Dei, quemadmodum suprà citauimus ea verba. III.

Quartò notus est Spiritus sancti mos, qui cœtum visibilem vocatorum notare solet & alloqui titulis eiusmodi, qui non singulis in eo cœtu indiuiduis aptari queunt, sed solis vetè credentibus. Estq; Synecdoche vulgata Scripturæ, qua id, quod nobiliori parti competit, tribuitur toti propter illam nobiliorem partem. Haud aliter atq; aceruus frumenti appellatur triticum, etiamsi ei admixta sint zizania, paleæ, &c. sicut Christus ipse in parabolis Ecclesiam depingit. Sic Lutherus exponit inquiens: Scriptura vulgato modo vsurpat Synecdochen, hoc est, nominat aliquid totum, & intelligit eius tantùm aliquam partem. Quemadmodum facit, cùm populum Israëliticum vocat peculium, & peculiarem populum Dei, cùm tamen maior semper illius pars Diaboli, minor verò Dei fuerit. Quemadmodum & Paulus Galatas, Corinthios, aliasque ciuitates Ecclesias Dei nominat, cùm tamen minima pars constaret ex veris filijs Dei. IIII.

Lutherus contra cœlestes Prophetas.

Et certè, si quæ Paulus in hac Epistola Ephesiis inscripta tradit, promiscuè & indiscriminatim pertinent ad omnes ex æquo vocatos, etiam ad impœnitentes & flagitiosos: sequetur illos etiam accenseri sponsæ Iesu Christi, de qua prædicat Apostolus in hac ipsa Epistola, esse illam sanctificatam, ita vt non habeat rugam aut maculam, imò 5. cap. Paulus à titulis illis filiorum Dei, flagitiosos aperta voce sequestrat: Scitis, inquiens, quòd omnis scortator, aut immundus, aut auarus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Et an non ipsa cohærentia verborum violentam Huberi interpretationem refellit? Scribit Paulus SANCTIS, qui agunt Ephesi, & Fidelibus in Christo Iesu. De istis additur ibi: Benedixit nos omni benedictione Spirituali in cœlestibus Christo. At verò QVI EX FIDE SVNT, benedicuntur cum fideli Abraham, Gal. 3. Ergò qui ex fide non sunt, non censentur inter benedictos. Quid? quòd de his ipsis benedictis & ad regnum Dei electis Paulus loquitur, quos & Saluator sic alloquetur: Venite BENEDICTI Patris mei, possidete regnum paratum vobis AB INITIO MVNDI? Cumque scribat de his, quorum Electio sit in Christo facta: & verò impœnitentes non in Christo sunt, sed extra ipsum, quia sine fide: Quî potest igitur Apostolicum illud de electis præconium ad impuros hos, infideles & impœnitentes accommodari? Ex his non obscurè cernunt, quibus orthodoxa diuini verbi veritas cordi est, quàm procul Paulus absit ab adsertione D. Huberi.

Reuellamus etiam argumentum Huberianum de Iuda, quem ipsum quoque fuisse aliquando electum pronunciat, eò quòd scriptum sit: Quos dedisti mihi, eos custodiui, & non perijt ex eis nisi filius ille perditus. Hinc colligit D. Huberus, etiam Iudam fuisse datum Christo, id est, electum ad vitam æternam.

Respon-

Respondemus, Ne hoc quidem vllus vnquam Theologus sic interpretari est ausus, aut Saluatoris dictum eò torquere, vt Iudam electis Dei filijs adscriptum fuisse profiteretur, Christus enim absonę huic paraphrasi sonora voce reclamat, Iohan. 13. dicens Apostolis: Si hæc scitis, beati estis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis loquor. Ego scio. QVOS elegerim. Nimirum ab his, quos elegit, omni luce clariùs seiungens Iudam proditorem. Quin eo ipso capite, ex quo ista depromit D. Huberus, refellitur ipsius hæc violenta interpretatio. Ait Saluator: Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de MVNDO. Item, Non pro mundo rogo, sed pro his, quos DEDISTI mihi. Quibus verbis cùm perspicuè discernatur inter eos, qui dati sunt Christo, & inter mundum: rogamus Huberum, explicet nobis, an Iudam accenseat mundo, vel his, qui è mũdo dati sunt Christo? Nos certè mundo illum adsociandum statuimus. Separatus ergò sit oportet ab his, qui Christo ratione æternæ Electionis dati sunt è MVNDO. Interim non inuiti largimur, Iudam cum cæteris vndecim esse electum ad Apostolatum, dicente Domino, Ioan. 6. Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est? Et ad hoc personale beneficium Christus aliquem habuit in hac sua precatione respectum. Discernit enim Apostolos ipsos ab his: qui per sermonem illorum erãt credituri. Itaque cooptationem illam ad Apostolatum respiciens, ait: Neminem ex ijs (Apostolis scilicet) perijsse, præter filium perditum.

Quòd si hæc vltra ordinem Apostolorum extendantur ad omnium hominum cœtum; nascetur hinc absurdissima paraphrasis, quasi ex toto humano genere (quod omne ad vitam electum sit) nemo quisquam perierit præter vnum Iudam: Quod quàm sit prodigiosè falsum, quisque, nobis etiamnon monentibus, intelligit.

Affert

Affert ex eodem capite dictum Christi: Dedisti ei potestatem super omnem carnem: quo dicit astrui, omnem carnem humanam esse ad vitam æternam electam & prædestinatam. At si ἐξουσία dare potestatem super omnem carnem, omninò quis existimet ad prædestinationem esse referendum: tum ἐξουσία istius (super omnem carnem) idem erit sensus, qui est Ioëlis 2. Effundam Spiritum meum super omnem carnem: quod ad omnia omnium hominum indiuidua referre prorsus absonum fuerit: Hac enim ratione nunquam impleta fuisset hæc prophetia, quia Spiritus sanctus nunquam datus est aut dabitur omnibus promiscuè hominibus. Data verò nihilominus est Christo potestas super omnem carnem, quòd acquisito vniuersali merito ad propitiationem totius humani generis potestas ei concessa in omnes est, vel ad salutem, vt in credentes, vel ad iudicium, vt in eos, qui partũ hoc Christi beneficium aspernãtur. Ideoque de salute subijciens saluator, restrictionem adhibet, dicens: vt QVOTQVOT DEDISTI EI, det eis vitam æternam. Hinc ita argumentamur: Quotquot (sub ratione æternæ prædestinationis) dati sunt à Patre Christo, his datur vita æterna. Iam verò credentibus datur vita æterna. Ergò soli credentes dati sunt à Patre Christo sub ratione æternæ electionis. Maior propositio est ipsius Christi in verbis allegatis. Minor est itidem Christi, solis scilicet credentibus dari vitam æternam. Ideo enim cõfestim subijcit: Hæc est autem vita æterna, vt COGNOSCANT te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Vnde sequitur, solos credentes & cognoscentes Deum & Christum esse ad vitam prædestinatos & electos.

Obijcitur etiam à nonnullis: Si doceamus, Electionem non esse promiscuè & indifferenter omnium hominum, siue credant, siue non: tum haud perinde Caluinistarum dogmà posse refutari, ac si vniuersalem, & ad cunctos mortales patẽtem

tem constituamus Electionem? Sed respondemus: Ad adstruendam veritatē opus nobis non est mendacio, vt nec Spiritui sancto ad docendum verbum Dei opus est somnijs, vt Syracides ait, nec ad refellendos aduersarios falsis Hypothesibus: ipsi per se sibi constat veritas. Quando enim docemus, Deum non velle vllius hominis interitum absolutè, sed seriò velle, vt omnes homines saluentur, idque ex sacrarum literarum fundamentis astruimus: Certè quando iam non omnes saluantur, sed iuxta sententiam Christi cùm multi vocati sint, pauci tamen reperiantur esse electi: non in vllam aliquam Dei voluntatem, vt impiè tradunt Caluinistæ, sed plenè & in solidum in homines ipsos culpa omnis confertur eorum, quia non modò non credunt, sed ne vti quidem volunt medijs (per quæ Spiritus sanctus in ipsis fidem operatus erat) quod in Thesibus fusè satis & orthodoxè pertractatum est. *Syrac. 35.*

Econtrà verò si falsam assumamus Hypothesin ad refellendos Caluinistas, fingendo, Deum omnes homines elegisse ad salutem, etiam eos, qui nunquam in Iesum Christum credant aut crediturí sint: Videre non possumus, quid eximij præstetur, nisi quòd vnum errorem fugiendo incideremus in alterum extremo in errorem alium, haud aliter, atque Illyricus putabat, se egregiè refutare Synergiam voluntatis humanæ, si substantiam naturę nostræ ipsummet peccatum esse contenderet.

Aliud Argumentum.

At obiicit D. Huberus: Iuxta nostram sententiam non esse aliquos priùs electos, quàm crediderint: Item, Electionem, qualis à nobis describitur, præuerti fide hominum. Qua quidem in parte luculentam nobis facit iniuriam.

IE 32

Statuimus enim, Electionem factam esse in ipsa æternitate, antequam fundamenta mundi iacerentur, Ephes. 1. Fidem verò excitari in nobis in tempore. Quomodo igitur id, quod efficitur in tempore, statueremus præuertere aut priùs esse eo, quod in æternitate geritur? Causa verò istius in Hubero hallucinationis est, quòd non perpendit, Deum κατὰ πρόγνωσιν suam inde ab æterno elegisse eos, quos præsciuit Christi Redemptoris merito fide apprehenso saluatum iri. Certè Colloquium Mompelgartense non dubitat fidem Electionis appellare causam. Siue autem causa nominetur, siue determinatio, siue infallibilis electorum nota: Constat non absque vllo prorsus intuitu fidei (quatenus ea Christum apprehendit) quenquam esse ad salutem prædestinatum. Et quidem in rebus Physicis seu naturalibus semper est causa suo effectu vel prior tempore, vel tempore simul cum effectu, eodem autem τῇ τάξει siue ordine prior. Secus res habet in voluntariis, vbi poni potest effectus respectu alicuius, quod temporis ratione futurum est.

Rem alio exemplo declarare placet. Missio Filij in mundum eiusque passio, est ratione temporis nostrâ prædestinatione posterior (quia prædestinatio facta est ab æterno, missio passioque Christi demum sub consummationem seculorum, Hebr. 9.) Atque nihilo minùs inficiari nequit Huberus, hanc missionem in mundum & passionem Domini causam esse, ob quam prædestinati sumus ad salutem. Velim hoc etiam expendat D. Huberus, quòd duo quædam possunt sibi mutuò esse causæ, sed in diuerso causarum genere. Quid? Quòd fides nostra Deo nunquam futura fuit, sed extra temporis rationem præsentissima, vt pote cui nihil neq; præteritum, neque futurum, sed præsentissima simul vniuersa? Ita vt exactè de æterna Dei prædestinatione loquendo, potiùs destinet ad

nec ad vitam credentes, quàm PRAEDESTINET credituros.

Crebrò etiam hanc cramben recoctam nobis apponit, & inet præcipuam spem victoriæ ponit:

Si Deus eligendo homines neminem præteriit, vtique vniuersos elegit.

Neminem autem præteriit Deus electione sua.

Ergò elegit omnes ad vnum homines.

Respondemus, Minorem propositionem esse falsam. Voluntate quidem antecedente, quæ misericordiæ est, neminem præterit, sed omnes homines saluatos cupit. Voluntate autem consequente, quę infidelitatem hominum respicit, præteritos, quos videt in incredulitate esse perseueraturos, eosque ob hoc ipsum non eligit. Certè Christus ipse dicens, pauços esse electos, docet reliquos esse præteritos, non autem absoluto odio, vt Caluinistæ volunt, sed ob præuisam finalem impœnitentiam. Semper itaque ad hunc scopulum impingit Huberus, quòd Electionem solâ illâ Dei voluntate definiendam autumat, confundens causam & effectum. Voluntas enim illa Dei benefica & misericors est causa Electionis, sed non solitaria, non ὁλικὴ, vt suprà demonstrauimus.

Voluntate approbante vult Deus omnes homines saluari. Voluntate autem DECRETI *saluat actu non nisi credentes.*

Sed pergit ille. *Si Deus aliquos præteriit, absoluto decreto præteriit.*

Hoc posterius absurdum.

Absurdum igitur & prius.

At negatur simpliciter propositio maior. Non enim si Electione sua præteriit, quos in impœnitentia videt ad finem vsque perseueraturos, præteriit eos absoluto vel decreto vel odio, sed propter ipsam illam finalem

Infidelitas non pendet à præteritione, sed econtra.

eorum impœnitentiam & infidelitatem. Nec dependet infidelitas ista hæc à præteritione illa Dei, vt effectus à causa, (quemadmodum falsò imaginatur sibi Huberus) sed potius infidelitas præuisa causatur eam præteritionem. Quia enim non erant credituri, idque suâ culpâ, quippe neglecturi fidei organa, æternæque salutis media: & Deus, qui præsens omnia aspicit, inde ab æternitate hoc præcognouit, quòd scilicet in infidelitate perseueraturi sint, ideo eos sua electione dignatus non est. Itaque non erat, vt nobis obiiceret Huberus Electionem absolutam. Non nos, sed ipse hæret in hoc crimine, Electionem quandam omnium simpliciter hominum absolutam, nulloque fidei in Christum respectu limitatam somnians, vtpote quam expandit super eos etiam, qui nulla vnquam fide in Deum aut CHRISTVM fuerunt præditi, vel vnquam etiam futuri sunt.

Obseruet autem Lector, quàm imperitè aduersum nos pugnet Huberus ex illo Præteritionis, quam obiectat, præsidiolo, cùm ne ipse quidem (quam primùm à commentitia sua generali electione descendit ad specialem & veram, secernentem oues ab hœdis, electos à reprobis, saluandos à damnandis) inficiari queat, hanc Electionem, secernentem electos à damnatis, necessariò implicare fidei & huic oppositæ infidelitatis intuitum, vtpote quæ credentes eligit, non credentes præterit. Num verò iam ipse quoque concedet, se ad absolutum euagari decretum, cuius nos reos agit?

Si obstrepet, Se autem præsupponere Electionem vniuersalem, ideoque in præcipitium absoluti decreti non delabi: Respondebimus, & nos præsupponere VOLVNTATEM Dei, de qua diximus, vniuersalem, quam Huberus vniuersalem Electionem abusiuè vocitans, & nihilominùs de elec-

de electione propriè sic dicta se loquii iactitans, contradictionem admittit in adiecto, quod ex ipso Etymo & grammatico significatu verbi (eligere) authoritate Mosis & Christi comprobato, irrefutabiliter euincitur, idque suprà demonstratum est.

Audiamus porrò ratiocinantem Huberum: Si non omnes electi sunt, tùm illi, qui electi non sunt, nunquam etiam poterunt credere aut initium fidei facere, quia non habebunt, quod credant. Itaq; vt credere possint, substernendum eis esse primò dogma de vniuersali quadam omnium hominum, etiam nunquam crediturorum, Prædestinatione & Electione ad vitam æternam, aliâs semper hæsitabunt, an ad se quoque pertineat Electio, quæ hæsitatio obstabit eis, quò minùs fidem concipere possint. Respondemus, Si sentiremus, absolutu Dei voluntate aliquos esse præteritos, & ab Electione seclusos, tùm sanè militaret obiectio. Iam verò quid opus illo præpostero metu, cùm Deus neminem velit excludere ab Electionis suæ gratia, præter eos, qui ipsi se excludunt per impœnitentiam aut finalem infidelitatem? Adhæc vult D. Huberus, vt quisq; statuat de sua Electione à priori, & introspectu prius libro vitæ, si viderit omnes absq; discretione homines, Iudæos, & Turcas, & Tartaros, & Canibalos, aliosque damnatos homines esse in eo consignatos, tùm demùm concipiat fidem, ad se quoque pertinere Electionem. Sic Huberus fidem hominum vult superstructam fundamento Electionis eiusce modi, quæ etiam sit reproborum, Iudæorum, Turcarum, id est, omnium infidelium populorum, & quæ possit irritareddi, mutari & euacuari. O egregiam rationem sanciendæ fidei.

Nostræ autem Electionis fundamentum solidum stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui. Et habemus nos hypotheses alias, quarū meditatione ad fidem per-

uenire valet homo virtute Spiritus sancti, nempe promissiones vniuersales Euangelij, quòd Deus velit, vt omnes homines salui fiant. Si ergò quærat aliquis: Forta sse Deus non vult, vt credam? Respondeo, imò verè vult, vt non tantùm saluus fias, sed etiam vt credas, & ad agnitionem veritatis perueniας, 1. Timoth. 2. Quin subministrat etiam tibi organa salutis, quæ vult, vt vsurpes, eumque in teipso fidem accendere nequeas, audi verbum, per quod Deus vult esse efficax. Hanc Dei voluntatem in verbo patefactam substerninus fundamenti loco. Quam voluntatem D. Huberus non nisi cum implicatione ἀντιφάσεως Electionem VNIVERSALEM appellitat, vt suprà docuimus.

Excutiamus reliqua Huberi argumenta.

Particulariam nominat, illatino vocabulo, ad conflandam inuidiam. Rom. 8. 1. Pet. 1.

Inter alia sic colligit: Qui particulariam Electionem ex præscire Dei deducunt, non multum absimiles sunt Caluinistis, qui ex velle Dei eam astruunt. Quoniam ergò Collegæ D. Huberi particularem Electionem deducunt ex præscire Dei, concludit inde Huberus, Collegas non ita multùm à Caluinianis dissidere. Respondemus: Væ tibi, beatissime Paule, qui & ipse ex præscire Dei deduxisti sententiam tuam de ea prædestinatione, quam solis iustificatis & in vita beata glorificandis assignas, dicens: Quos præsciuit (audis Hubere) Quos præsciuit, hos prædestinauit. Cui consonat D. Petrus, appellans fideles Electos secundum PRAECOGNITIONEM Dei Patris.

Num igitur & hi Apostoli tandem fauere putandi sunt Caluinistico decreto prædestinationis absolutæ? Adhæc quando Caluiniani interitum hominum reproborum ad VELLE Dei referunt, quisq; intelligit, id Dei VELLE (& quidem absolutum velle) palàm repugnare voluntati reuelatæ, & habere vim causæ perditionis hominum. Vicissim quãdo

nos

nostrum Apostolo docemus, DEVM, quos prȩscivit (scilicet in mundi Salvatorem constanter credituros) ad salutem prȩdestinâsse, cȩteris, quos nunquam credituros in illum, aut à fide rursum defecturos vidit, ob hoc ipsum neglectis: Hîc certè non ipsum PRAESCIRE complectitur causam, sed notitiam. Res prȩscita verò, nempe fides in Iesum Christum, est finis determinatio, sive (ratione inclusi correlati sui, nempe Christi) causa Electionis, vt Colloquium Mompelgartense nominat, quemadmodum & incredulitas prȩvisa, vera causa est, cur negligantur & damnentur reprobi. Sicut enim in patefacto Euangelij verbo revelat Deus, quomodo homines salvet aut damnet, sic ab ȩterno proposuit eo modo ad salutem eligere, vel in damnatione relinquere. Revelat autem verbum, cum qui credit, non iudicari, sed salvari: Eum verò, qui non credit, iam iudicatum esse, quia nõ credit in nomen Vnigeniti Filij Dei, Ioan. 3. Ergò hoc ipsum etiam Deus in ȩternitate sic constituit, sic decrevit, quòd credituros salvare, non credituros damnare velit. Est enim verbum Euangelij nihil aliud, quàm ipsius illius ȩterni propositi Dei manifestatio, teste Paulo, Rom. 16. Ephes. 3. 2. Timoth. 1.

Fides non est respectu sui ipsius causa Electionis, sed ratione Christi, quem apprehendit.

Obiicit Huberus illud Apostoli: Quos prȩscivit, Rom. 8. ȩquo attinere vniversos homines: atq; ideò ridiculè nobis insultat, quòd hunc Paulinę catenæ annulum in allegatione dicti huius abruperimus. Respon. Possumus innumeras allegationes proferre Orthodoxorum Theologorum, quibus in citanda hac catena Pauli Rom. 8. non semper omnes annuli figillatim expressi, nec tamen ideò abrupti, sed implicitè inclusi continentur. Deinde demonstret nobis D. Huberus vllum Theologum, qui hoc asserere vnquam sit ausus, quòd iste locus Rom. 8. attineat omnes pariter & ex ȩquo homines. Contextus arguit sermonem illîc institui de his, QVI DILIGVNT DEVM, qui CONFORMES fiunt imagini

imagini Filij Dei qui præuisi prædestinantur, qui prædestinati vocantur, qui vocati iustificantur, & qui iustificati tandem glorificantur. Qua ergò mente & conscientia HVBERVS hũc Apostolicæ catenæ annulum (Quos præscivit) super bonos simul & malos extendit per commeatum suæ vniuersalis Electionis, qua prædestinati finguntur etiam hi, qui Deum nunquam diligunt, qui imagini Filij Dei conformes non fiunt, qui nec præcogniti sunt, quòd sint per fidem futuri in Christo, nec iustificantur quamlibet vocati, nec deniq; glorificantur.

Nec tantillum proficit, obiectando nobis Concordiæ librum. Etenim liber Concordiæ, distinguẽs à prædestinatione præscientiam Dei, disertè sic scribit: Præscientia vel præuisio Dei, qua ille omnia, antequam fiant, præuidet & præscit, ad » omnes creaturas, tàm malas, quàm bonas extenditur. Hac » enim vel præuisione vel præscientia Dominus antè nouit, vi» detq;, quicquid est, vel aliquando futurum est, &c.

Ergò loquitur Concordia de præscientia Dei indeterminata, sub cuius complexu etiam Diaboli continentur, adeoq; omnes creaturæ. Præscit enim Deus, quid etiã Diaboli acturi sint. In hac indeterminata & ad omnes creaturas patente significatione si Huberus putat accipiendum locum Apostoli: Quos præscivit, hos & prædestinauit, Consequetur inde, non iam omnes duntaxat homines, sed etiam Diabolos adeoq; omnes creaturas esse ad vitam æternam prædestinatas. Hæc irrefutabiliter demonstrant, quantam Huberus suis contortis expositionibus vim faciat Scripturæ sacræ, & quàm fragili fundamento suæ opinionis structuram committat.

Sed progrediamur ad alia Huberi argumenta ventilanda. Putat, nostra prædestinatione, qua docemus, Electos à Deo esse eos tantùm, quos perseueranter ad finem vsq; credituros præscinerit, incertitudinem astrui talem, vt nemo hominum

vel

velle, vel alios beneficio Electionis compræhēdere & includere possit, & tota Electio propriè ad mortuos & non ad viuos pertineat. Respon. Quid hîc audimus? Annè tandem etiam Papisticos errores ex Ecclesijs earum terrarum pridem relegatos & proscriptos ceu postliminio reducere nititur Huberus? Certitudinem salutis nos sic astruimus ex electionis Articulo: DEVS in æterno proposito Electionis secum immutabiliter statuit, quòd certò velit saluare OMNES, quicunque in Christum Iesum credunt, & ad finem vsque perseuerant. Ego autem credo in Christum, & scio, Deum me in fide conseruaturum vsque ad finem. Ergò certò sum ex Electis. Si Assumptum negare volet Huberus, videlicet, non posse Christianum scire, an credat, & Dei auxilio ad finem vsque perseueraturus sit: transeat ad Pontificios, vt qui vnâ cum illis Canonem approbat Tridentini Concilij: Neminem de perseuerantia sua vsque in finem posse esse certum. *Canon. 16.* Canonem ipsum concilij Tridentini cognoscamus, qui sic habet: Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.

Itaq; iam Hubero manifestum erit paratum bellum aduersus Euangelicas Ecclesias, imò contra ipsosmet Apostolos, qui & de fide & de perseuerantia in fide Christianos etiam in hac vita certò statuere posse liquidissimè pronunciant. Sic enim Christus ouibus suis promittit, quòd nemo eas *Ioan. 10.* possit de suis & Patris manibus rapere. Potest verò quisque Christianus verus subsumere: Ego sum ouicula Christi: Ergò nemo in æternum poterit me rapere de manu Pastoris Christi. Ex quo fundamento Paulus suæ salutis certitudinem astruit; Noui certusq; sum, quòd is, cui credidi, potens *2. Tim. 1.* sit depositum meum seruare vsque in diem illum. Imò non

PE 40.

de se solùm, sed de cunctis Deum diligentibus scribit: Scio, quòd neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; præsentia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas possunt nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, Rom. 8. Et 2. Thes. 3. Fides non est omnium, fidelis est autem Deus, qui stabiliet vos & conseruabit à malo. Quod D. Petrus 1. Epist. 1. cap. confirmat, pronuncians Electos virtute Dei custodiri per fidem ad salutem: idq; capite 5. repetit. Proinde nisi incertitudinis notam impingere placeat sacrosanctis his promissionibus, fatendum planè est, posse credentes etiam in hac vita, cùm de sua fide apud se statuere, iuxta illud: Probate vosmetipsos, num sitis in fide, 2. Corinth. 13. tùm etiam de sua in fide perseuerantia, idq; non demùm post mortem, vt Huberus Papistarum in modum scriptitat, sed etiamnum in hoc seculo.

Non possumus autem, nec conscientię nec officij ratione hîc prætermittere, quin Ecclesiam Dei moneamus de calumnia, qua D. Huberus nos Collegas suos non veretur contra cordis & conscientiæ suæ testimonium deformare, quasi statuamus, ante finalem perseuerationem (sunt verba eius) nullam esse de homine Electionem apud Deum. Hoc adeò audacter nobis affingit, vt in nouissimo suo Scripto inter Studiosos sparso (cui titulum facit: Samuelis Huberi Confessio de Electione) contra hoc argumenta etiam sua, præcipuè septimum, dirigat.

Contra hanc calumniam protestamur solenniter, iniuriam nobis atrocem inferri ab Hubero: qui toties testati sumus, Electionem nostram esse factam AB AETERNO, & ante iacta fundamenta mundi esse electos omnes eos, quos Deus κατὰ πρόγνωσιν suam (vt Petrus & Paulus asserunt) PRAESCIVIT, fore Christo Iesu perseueranter insitos,

insitos, & in Christo Iesu per fidem saluatum iri. Posse autem hominem etiam ante mortem suam de sua in fide perseuerantia, atque sic de sua quoque Electione AB AETERNO facta esse certum, demonstratum modò est infallibilibus Scripturarum dictis & promissionibus.

DE IVSTIFICATIONE.

De Iustificatione.

DOcuerunt hactenus & adhuc docent Ecclesiæ nostræ Iustificationem eam, quæ fidei est, & ad credentes pertinet, nequaquam verò ad vniuersum mundum sese porrigit.

Doctor Huberus, præter hanc iustificationem fidei, tradit quandam aliam toti hominum generi ex æquo communem. Etenim contra Kimedontium scribens pag. 245. ait: « Omnes, quibus promulgatur Euangelium, electos appellari, « itemq; IVSTIFICATOS, sanctificatos, redemptos, pag. 19. contra Kimedont. Damnat Huberus, vt Sarracenicam, locu- « tionem hanc, qua dicitur, doctrinæ Paulinæ nihil magis « esse contrarium, quàm fingere iustificationem tàm gene- « ralem & latè patentem, quàm generalis est & patet conde « mnatio in omnes & super omnes simpliciter homines. « Hanc propositionem, quia Doctor Huberus istic loci damnat; non obscurè significat, se docere Iustificationem vniuersis mortalibus competentem. Hinc in Thesibus suis Tubingensibus Thesi 270. scribit: Hic autem status « & conditio est redemptionis nostræ, qua omnibus ex « æquo condonata sunt peccata, deleto chirographo quod « contra nos erat, Colos. secundo: Verùm in GENERALI « illa REMISSIONE PECCATORVM, quæ per sanguinem «

„ Christi nobis obuenit, compræhendũtur multi, qui Deo in-
„ grati fiunt, atque familiam pessundare & sternere conantur
„ vitæ suæ improbitate. Quapropter licèt hi ACCEPERINT
„ remissionem peccatorum: propter suam negligentiam ta-
„ men ITERVM condemnãtur, & ad exsolutionem omnium
„ suorum debitorum adiguntur. Thes. 59. & 60: Interea verò
„ non minus verè, propriè, facto & opere ipso redemptionem
„ CONTVLIT Christus toti humano generi: quàm Adam ve-
„ rè, propriè, facto & opere ipso cladem omnibus & singulis
„ hominibus inuexit. Et vt nihil sit obscurum, dicimus, morte
„ & satisfactione Christi pro nostris peccatis omne iudicium
„ iramq́; diuinam in vniuersis hominibus FVISSE sublatam,
„ deletam, reipsa, verè & propriè. Thes. 62. Licèt autem non
„ rugiat iste Spiritus (Sacramentarius) adeò apertè: attamen
„ omnes intelligunt, hoc ipsum esse, quod sic fremit, & dicit,
„ PROPRIE id accipiendum non esse, quod Scriptura dicit,
„ verè Christum omnem Adami culpam in omnibus homini-
„ bus eluisse. At non minus verè & PROPRIE eluit, quàm
„ Adamus verè & propriè peccatum & mortem inuexit omni
„ suo generi.

„ Thesi 65. Patrem cœlestem, scribit, mortem Christi acce-
„ ptasse, vt per eam verè & indubitanter omnes simul ab omni
„ peccato & condemnatione liberentur, quocirca etiam reipsa
„ totum genus humanum in gratiam & sinum suum recepisse.
Hoc quid sit, ampliùs exponit in libro contra Kimedontium, quando pag. 246. generalem Adoptionem nominat, & se-
„ quen. 247. & 248. scribit: Omnes sumus dilecti in Filio, sicut
„ Christus dicit Ioannis tertio: Sic Deus dilexit mundum, vt
„ daret Filium suum vnigenitum.

„ In Filio diligi nihil est aliud, quàm in Dei recipi ample-
„ xus, & omnem tolli iram, sicuti etiam Ioan. dicit: 1. Ioan. 4.
„ Dilexit nos, & misit Filium suum propitiationẽ pro peccatis
nostris

nostris. Ideoque Paulus ex isto principio OMNES, quibus Euangelium Iesu Christi prædicat, appellari ἠγαπημένους & dilectos, Ephes. 1.

Thesi 157. scribit: Quòd Deus omnes homines dilexerit in dilecto suo, sicut etiam Paulus loquitur: cùm omnes gentes (nullo homine inter omnes gentes excepto) sub istum AB ÆTERNO COMPLEXVM GRATIAE diuinæ refert, Eph. 1. & 3. Rom. 16. Gal. 1. Hactenus multa audiuimus argumenta, eaque præsertim, quæ regnum Gratiæ extendunt super totum mundum.

Puta ego Regnum gratiæ proprium esse Ecclesiæ Dei.

Ex his alijsq; multis, quæ in ipsius editis libris & scriptis occurrunt, non possumus sententiam aliam eruere, quàm quòd D. Huberus planè sibi persuadet, fuisse aliquando (siue in æternitate, siue cùm in paradiso primam Deus promissionem promulgaret, siue cùm Christus sese in ara crucis immolaret, quod D. Huberi explicationi committimus) fuisse, inquam, totum genus humanum propter meritum Christi in gratiam, in sinum & amplexus Dei verè receptum, omnesq; homines dilectos in dilecto per adoptionē generalem quandam & per iustificationem tàm generalem & latè patentem, quàm latè patet condemnatio ex Adamo in omnes simpliciter homines, adeoq; per generalem remissionem peccatorum omnibus EX ÆQVO condonata fuisse peccata: redemptionem toti humano generi ipso facto ac opere COLLATAM, omnēq; Adami culpam in omnibus hominibus verè & propriè elutam, adeò vt omne iudicium & ira Dei in vniuersis hominibus sublata fuerit & deleta, reipsa, verè & propriè. Quæ ipsimet sunt verba, fideliter ex libris eius transcripta.

Somnia D. Huberi.

Hic libêret D. Huberum interrogare, Quando hoc factum esse existimet? Quando toti generi humano remissa ex æquo fuerint peccata omnia? Alterutrum fateatur oportet, aut ab æterno, aut tempore id esse factum. Neutrum verò

Dicta de Redemptione & reconciliatione quomodo accipienda.

posse subsistere, paulò post ad oculum demonstrabitur. Nos, quæ de Redemptione & reconciliatione mundi, siue generis humani habet scriptura, interpretamur de parto per Christi mortem & acquisito beneficio, & de sufficientia illa meriti Christi, quod toti mundo reconciliando, iustificando & saluando sufficit, si totus mundus crederet, cui etiam destinatum illud est, atq; hoc fine acquisitum, vt omnes homines salutem inde per fidem consequantur. Interim Deus nunquam id eò destinauit, vt ad iustificandum aut remittendum peccata valeat sine fide, per generalem aliquam remissionem peccatorum, aut iustificationem, quæ facta sit etiam in ijs, qui fidem nunquam habent, nunquam habuerunt, nunquam habituri sunt. Qui non credit, inquit Iohannes Baptista, non videbit vitam, sed ira Dei MANET super eum, Iohan. 3. Ergò qui nunquam crediderunt in Filium Dei, ab ijs etiam nunquam (ne ad momentum quidem) fuit ablata ira Dei. Quamvis thesaurus expiationis peccatorum fuerit eis partus, & in Euangelio oblatus, ipsis tamen per incredulitatem nunquam COLLATVS, nec ab eis acceptus vnquam, cùm defuerit eis fides, vnicum accipiendæ remissionis peccatorum organon.

Et quàm sit absonum, tale quid statuere: ex assignata distributione planum redditur. Si dicat D. Huberus, inde ab æterno fuisse peccata toti mundo remissa, & iustificatos vniuersos homines, & hanc generalem remissionem peccatorum omnium hominum aboleri reprobis in tempore: respondeat disertè, quomodo eis aboleatur? & quando? Si per peccatum Originis, quando videlicet in originali malo concipiuntur: qualis ergò gratia hæc censenda est, iustificare eos qui non sunt, vt quam primùm incipiunt esse in priorem damnationem absorbeantur, & in nihilum euanescat omne id, quod ab æterno tributum erat eis nondum existentibus? Imò quomodo potuisset peccatum originis illis ab æterno esse re-

esse remissum, si ad damnationem eis imputetur in tempore? Sin autem verè & propriè peccatum originis remissum eis est, quadam remissione ortum illorum antegressa; sequitur quòd nascantur iustificati, nascãtur filij non iræ, sed gratiæ, nascantur sancti, quibus peccatum originis damno esse nequeat, utpote generali illa condonatione eis remissum & cõdonatum. Vbi ergò manet assertio Christi: Amẽ, Amẽ dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cœlorum. Quod ex carne natum est, caro est? Iohan. 3. Sequeretur insuper, credentes iam gemina iustificatione esse coram Deo iustos, vnâ generali sine fide, altera speciali per fidẽ. Imò quorsum opus est iustificatione fidei, si etiã absq; hac remissio peccatorum gratiaq; Dei confertur? Adhæc quia generalis illa hæc iustificatio complectitur, ex hypothesi D. Huberi, etiam infideles; respondeat, An eis condonata fuerint peccata per imputatã obedientiam Christi, vel absq; ea? Si sine imputatione obedientiæ Christi, periclitabitur æterna Dei iustitia, remittens peccata sine intuitu satisfactionis interpositæ. Sin verò per imputationẽ meriti Christi, ediſſerat, an vnquam vspiã scripturam meminerit alicuius imputationis nudæ, simplicis & sine fidei respectu consideratæ? Et quid multis opus? cùm D. Apostolus vnam tantùm doceat rationem & viã consequendi remissionem peccatorum, eamq; per fidem, ita vt clamet, non NISI per fidem Iesu Christi nos iustificari, Gal. 2. Estq; in scriptis publicis, Augustana Confessione, Apologia, Smalcaldicis articulis, vtroq; Catechismo Lutheri, Epitome & formula Concordiæ, multus sermo de iustificatione hominum coram Deo, imò in tota controuersia cum Pontificijs, quæ nunc vltra 70. annos durauit. De generali autem hac iustificatione, qua omnes homines aliquando fuerint iustificati, in amplexum gratiæ diuinæ recepti, adoptati, condonato cunctis ex quo hominibus peccato, idq; verè, propriè & recipi. de hac, inquam, æternum

æternum est in vniuersis hisce scriptis publicis, & in omni scriptura sacra, silentium.

Locus Rom. 5. explicatur.

Nam quòd Rom. 5. legitur: Sicut per vnius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, ita per vnius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem vitæ: Certum est, hoc velle Paulum, Sicuti per transgressionem Adæ propagatum sit peccatum in omnes ipsius posteros, in condemnationem illorum: Sic per obedientiam Christi adquisitam esse & partam institiam, quæ cunctis hominibus iustificandis & viuificandis sit sufficientissima: si vel totus mundus eam fide amplecteretur. Sic enim Rom. 3. suam hanc sententiam exponit: Iustitia Dei per FIDEM Iesu Christi in OMNES & super OMNES eos, qui CREDVNT. Qui verus est sensus dicti Paulini, nec ad dogma Huberianum confirmandum est extendendum. Quia enim Apostolus in vtroq; membro instituæ inter Adamum & Christum antitheseos, meminit propagationis, cùm mali ad condemnationem, tùm boni ad iustificationem: Certè si præcisè & in omnibus omninò membris vrgêre placeat antithesin: delabemur in Pontificiorum hæresin, vt quemadmodum peccatum ab Adamo propagatum est in homines per inhæsionem peccati: Sic iustitia secundi Adami itidem per modum inhæsionis in eos transmittatur & propagetur. Sin verò hunc modum propagationis vtrinq; reprobamus: Sequitur, nullum alium superesse modum propagandæ in nos iustitiæ coram Deo valentis, præter imputationem; qua salus & iustitia toti mundo parta per fidem apprehendatur: ita vt qui credunt, applicẽt sibi id, quod per imputationem fidei propagandum erat in omnes homines, si omnes credidissent.

Quanquam ergò propter fidei defectum nequaquam iustificantur aut iustificati vnquam fuerunt omnes simpliciter ho-

ter homines, nihilominus constat immota Antithesis Apostolica, nec inualidius redditur bonum seu beneficium per Christum in nos collatum, quàm fuerit malum vitio Adami in nostrans missum. In eo enim præcellit Christus, quòd cùm per VNVM delictum mors regnârit: vicissim Christus EX MVLTIS delictis plenariam iustificationem impetrârit ijs omnibus, qui in nomen eius credunt.

Deinde præcellit in eo quoq;, quòd Adamus occidit posteros suos, hoc est, mortem & cõdemnationem in illos derivat, propagatione peccati: Christus econtra ex condemnatione ad iustificationem nos vitæ reducit. Quantò autem præstantius op' est, viuificare naturaliter mortuum, quàm occidere (cùm hoc possit quisque, illud non nisi Deus omnipotenti virtute sua præstare queat) tantò etiam plus præstitisse censendus est Christus, viuificando eos, quos Adam⁹ per peccatum morti subiecerat.

Et poterat D. Hubero, si docilis esset, abundè satisfacere erudita & neruosa responsio Theologorum VVirtembergensium, qua ad locum illum, Rom. 5. tantopere iactatum ab Hubero, sic ei respondent: Quin imò vt rectè constet oppositionis ratio, ex eo ipso loco, quem allegas, sententia tua manifestè conuellitur: nimirum sicut condemnatio, quæ REATV pertinebat ad omnes homines, ACTV tamen pertinet ad solos impœnitentes ac infideles: Sic oblatio gratiæ DEI & meriti Christi, Vniuersalis quidem est: Actu tamen ad solos fideles restringitur, qui Christi per fidem apprehensi beneficio damnationi eximuntur. Hæc illi.

Quid autem respondebit D. Huberus libro Concordiæ, quihæc ipsa verba Rom. 1. citans, apertè confirmat, ea nihil aliud velle, quàm quòd FIDE iustificemur? Sic ait liber Concordiæ in latino exemplari pag. 666. Itaq; hæ propositiones sunt æquipollentes & IDEM PLANE VOLVNT, cùm Paulus

„ lus dicit: FIDE NOS IVSTIFICARI: aut FIDEM nobis ad iustitiã im-
„ putari. Et cùm docet; quòd vnius Mediatoris Christi obedi-
„ ẽtiâ iustificemur; aut q̃ per vnius iustitiam in omnes homines
„ iustificatio vitæ veniat. Fides enim non propterea iustificat,
„ q̃ ipsa tàm bonum opus, tamq̃; præclara virtus sit, sed quòd in
„ promissione Euangelij meritum Christi apprehendit & am-
„ plectitur. Hæc Concordiæ liber. Si phrasis Paulina (quòd per vnius iustitiã in omnes homines iustificatio vitæ veniat) idem planè vult, quod altera hæc: Fide nos iustificari (sicut liber Concordiæ luculenter adseuerat) reijcitur ergò per sentẽtiam formulæ Concordiæ interpretatio ea, quæ ex hisce Paulinis iustificationem fingit absq; fide, quæ se extendat etiam ad hos, qui fidem nec habuerunt vnquam, nec habituri sunt.

Multò rectiùs D. Luth. in 2. cap. ad Gal. Vbi, inquit, Christ' & FIDES nõ est, ibi NVLLA est remissio peccatorũ, nulla absolutio, sed mera imputatio & damnatio peccatorum. Et hæc dicta sint de 2 capite. Sequitur tertium, quod est de Regeneratione.

CAPVT III.

DE REGENERATIONE.

DE Regeneratione in articulo Baptismi nõ minùs à nobis dissentit D. Huberus, atq; in prioribus. In quæstione, Nũ omnes in infantia baptizati, mediante eo Baptismo, regenerentur? Nullum est inter nos sententiarũ diuortium. Cùm verò de adultis quæritur, docetur à nobis, nõ omnes simpliciter adultos regenerari, cùm in ætate adultiore baptismũ petũt & accipiunt: siquidẽ fieri possit, vt aliquis ficto, hypocritico, perfido & impœnitẽti corde Baptismũ suscipiat, quemadmodũ nonnunquã Iudæi aut errones Ægyptij Baptismum accipiunt, tantùm emolumenti terreni gratiâ, simulãtes interim, se veræ pietatis affectu baptismatis sacrũ expetere. Hos dicimus quidẽ percipere Baptismũ ratione substãtiæ integrũ: Regenerationẽ ipsam autẽ offerri quidẽ, sed nõ cõferri eis, nec ab ipsis accipi

D. Hu-

D. Huberus ecõtra ſtatuit, Regenerationẽ cõtingere omnibus ritè baptizatis, etiã his qui adulti in impœnitentia ſua baptizãtur, ita vt opꝰ Dei (ſunt hæc verba eius) id eſt, regeneratio, & RECEPTIO IN GRATIAM peracta ſit, nõ autẽ eius vſum & fructũ cuiquã contingere, niſi fide vendicetur & applicetur. Et quidẽ adultos ideo nõ eſſe hinc excipiendos, quia loca Rom. 6. Gal. 3. contrariũ doceant, vbi omnes abſq; æquivocatione dicãtur in mortẽ Chriſti baptizati, & dicantur Chriſtũ induti, quotquot ſunt baptizati. Si hîc, inquit, admittimus exceptionem, licebit etiã Caluiniſtis facere exceptiones & æquivocationes cudere.

Quomodo confertur eis Regeneratio, ſi ſibi nõ applicent eã.

II. Neceſſe eſt (ait) vt in actu Baptiſmi CONFERATVR Regeneratio, quoad Dei opus & inſtitutũ, ſiue per fidẽ ſibi applicent beneficiũ adulti, ſiue nõ applicẽt, id eſt, ſiue eius fructu pfruantur vel nõ. Alioquin niſi ACCEPISSENT Regenerationẽ, nunquã ſaluarẽtur porrò, quia ſine renaſcẽtia, q̃ fit per aquã & Spiritũ, nullus in regnũ cœlorũ conceditur introitus. Hactenus ille.

Et ad quæſtionẽ: Num ꝓpter intentionẽ Dei etiã hypocritæ, licèt in actu Baptiſmi vitio ὑποκρίσεως laborẽt, aut in alia aliqua actuali impœnitẽtia hæreant, nihilominꝰ tamẽ reuera ſalnentur? Reſpondet Huberus in ſuo diſſeminato ſcripto: Si nullo reſpectu id admittamus, non diſtare nos in loco iſto ac doctrina de Baptiſmo à Caluiniſtis. Vt autẽ (addit) noſtrã etiam habeant confeſſionẽ, ſic reſpondemus: Si in actu Baptiſmi aliqui ſunt hypocritæ, vt facilè fit: τῇ χρήσει quidẽ nõ regenerãtur, ſed quoad Deũ τῇ κτίσει, qui, vt Luth. inquit, operatur ex neceſſitate immutabili. Omne enim ſubſtãtiale in illos collatũ erat. Hinc quotquot baptizati ſunt, OMNES dicuntur conſepulti cũ Chriſto, Rom. 6. & OMNES induti Chriſto, Gal. 3. Vbi etiam quoad Deũ neceſſe eſt, vt factũ ſit: Alioquin vacuũ Baptiſmũ & ſignũ abſq; eius veritate accepiſſent. Quod aſſeuerare Caluinianũ eſt ſupremo gradu: diſcerpitur enim Baptiſmus ablatus ab eo re ſubſtantiali. Subſtantiale appellamus illud verbum,

„ quod dat υἱοθεσίαν, & in quo Deus sese addicit, quòd nõ p filio
„ iræ, sed iam porrò pro filio gratię & hærede vitæ æternæ ba-
„ ptizatum habere & reputare velit. Atq; hoc est Regeneratio,
„ quò ad Deum, cuius fides & OPERATIONEM, quam in
„ χάριν CONFERT, nostra ἀπιστία non tollit, ad Rom. 3. tametsi
„ χάριν sibi non applicet manet enim quò ad Deum, hominem
„ baptizatum REPVTATVM fuisse pro FILIO & HAEREDE,
Nota. Hæc beneficia, filiis Dei propria, tribuit Huberus etiam his, qui baptismum accipiunt sine fide.
VERE ABSOLVTVM à PECCATIS, EXPVRGATVM à NATIVA LABE: ATQVE SIMVL EXHIBITA ET EFFVSA ESSE SVPER IPSVM DONA GRATIAE COELESTIS, QVAECVNQVE AD ΥΙΟΘΕΣΙΑΝ ET REGENERATIONEM PERTINENT. Hæc in Baptismo SVNT SVBSTANTIALIA, & à Deo verè exhibentur omnibus baptizatis. Vnde quò ad Deũ omnes baptizati verè regenerati dicuntur. Hoc si aliter esset & accideret, vt hypocrita post 20. demum annos pœnitentiã agere vellet, is certè tunc demum regenerandus esset, aut regnum cœlorum nunquam intrare posset. Si tunc regenerandus est demum, atq; priùs non fuit regeneratus, quò ad institutum Dei, eiusdemq; Operationẽ, certè rebaptizãdus erit: Si non rebaptizandus, & tamen post annos illos regeneretur, diuulsus iam est Baptismus, atq; huius Substantia ab actu Baptismi ablata & abstracta est in aliud tempus, vt Caluinistę volunt. Si dicatur per verbum hypocritam post interuallum temporis regenerari posse, indicium est, quòd hac doctrina illi patefiat ingressus in regnum cœlorum ABSQVE RENASCENTIA, QVAE FIT PER AQVAM & Spiritum, idq; contra Christi institutum, Matth. 3. Hactenus D. Huberi verba.

Regenerationem refert inscitè ad substantiam Baptismi.

„ Rationes affirmati eius paulo pòst confutabimus, vbipriùs nostram negatiuam ex Dei verbo asseruerimus. Non autem regenerati hypocritas aut impœnitentes, quàm diu tales sũt, apparet initiò hinc, quia regeneratio à fide ne ad momentum quidem abesse aut diuelli potest, nec indè à mundo condito

condito quisquam regeneratus est, qui non simul in hac sua regeneratione fidem sit consecutus. Iam verò quia hypocritæ & impœnitentes fide carent: carent vtique & regeneratione.

Deinde Regeneratio significat ipsorummet hominum translationem è statu iræ in statum gratiæ. Ideo enim renasci prædicantur, quia qui nati priùs erant iræ filij, iam nascuntur filij Dei. Filij autem Dei nulli sunt, nisi qui omissa hypocrisi in Christum verè credunt, Ioan. 1.

Adhęc regeneratio, quam Spiritus sanctus in Baptismo fide percepto efficit, coniungitur cum renouatione. Dicitur enim lauacrum non tantùm regenerationis, sed etiam renouationis in Spiritu sancto, Tit. 3. Renouatio autem sine nouis motibus Spiritus sancti in corde hominis nec est, nec definiri potest. Qui motus quia non cadunt in hypocritas, vtiq; nec renouatio neq; huic connexa regeneratio eis competet.

Præterea nemo renatus est, qui non sit iustificatus. Hypocritæ illi non sunt ex iustificatis, quia iustifica fide vacui. Ergò nec regeneratis adscribi queũt. Nisi fortè iam tertiam libeat effingere Iustificationem. Ita vt hypocritæ per incredulitatem amiserint iustificationem illam primam & generalem, iustificationem verò specialem, quæ fidei est, non habeant ob defectum fidei, acquirant verò nunc per Baptismum quandam Iustificationem tertiam, quæ cum incredulitate, hypocrisi & impœnitentia pulchrè stare possit.

Adhæc omnia ea, quæ de regeneratione prædicat Scriptura, pugnant ita cum impœnitentia hypocritatum, vt renascentiæ donum cum impœnitentia coniungere, sit lucis & tenebrarum consociationem comminisci. Christus in colloquio cum Nicodemo asserit, Ioan. 3. renatis apertum esse ingressum in regnum cœlorum. Hypocritis autem tantisper cœlum clausum esse scimus, donec pœnitentiam agant, & in

Christum credant. Docet ibidem Dominus: Quemadmodum ventus proferat se suo sibilo & flatu: Sic esse OMNEM, qui natus est ex Spiritu, vt scilicet non possit in occulto manere eius regeneratio, quin in eo animaduertere liceat suauem susurrum Spiritus sancti, & aliquos conuersionis fructus, quos reprobis illis hypocritis assignare oppidò absurdum foret. Sic Ioannis 1. fides cum renascentia coniungitur: Dedit potestatem filios Dei fieri, nimirum his, qui credidissent in nomen eius, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Ioan. 1. Sic Iohannes in Canonica sua scribens: Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non committit; euidenter ostendit, ex Deo natum esse, & peccare contra conscientiam, non posse simul & semel in eadem persona consistere. Vnde quid de Hypocritis & impœnitentibus illis, ex proposito peccantibus & in peccatis perseuerantibus, sentiendum sit, Diuus Ioannes haud obscurè definit, videlicet non esse illos inter renatos numerandos.

In eadem Epistola scribit Iohannes cap. 5. Quicquid natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Vnde hoc extruitur argumentum: Quicquid ex Deo natum est, vincit mundum. Hypocritæ & quicunque sine fide sunt, non vincunt mundum, sed manent sub potestate principis huius mundi, Diaboli. Ergò ex Deo nati non sunt. Et obserua, quòd in hac quoque sententia Iohannis coniungantur fides & regeneratio, vt quæ in diuiso nexu sic cohærent, vt vel temporum interuallis, vel etiam subiectis à se inuicem distrahi nullo modo queant.

In libro Concordiæ euoluuntur ex professo significata vocabuli Regenerationis, quòd interdum in eo sensu accipiatur, vt simul & semel remissionem peccatorum & subsequentem

quentem renouationem complectatur. Interdum autem Re- II.
generationis vocem significare solam remissionem pecca-
torum & adoptionem in filios. Sæpè etiam Regeratio- III.
nem pro sanctificatione & renouatione (quæ fidei iustifica-
tionem sequitur) vsurpari. Harum significationum nulla
competit hypocritis, siue in suo Baptismo, siue extra illum
hypocritę sint. Itaq; hac etiam in parte D. Huberi dogma cùm
sacra Scriptura, tùm à Concordiæ libro longissimè distat.

Quòd autem ait, In hypocritarum Baptismo, quem suæ ὑποκρίσεως tempore accipiunt, conferri hypocritis regeratio-
nem, quoad Dei opus & institutum: Si hoc vellet, Deum qui-
dem Baptismum eò instituisse ac destinasse, vt & ipsi regene-
rentur, amoto scilicet incredulitatis & impœnitentiæ obsta-
culo: Non autem regenerari propterea: quia obicem ponant,
vt olim locuti sunt: Tùm retineat D. Huberus glossam, & textum corrigat, id est, mentem retineat, & emendet lin-
guam.

Quamprimùm enim dicitur, hic vel ille est, quoad Deum, regeneratus, confestim ipsum actum regenerationis in eo verè peractum esse subindicatur. Hoc si non sentit de Hy-
pocritis, in quibus regenerationem nequaquam peragi certissimum est, omissis posthac phrasibus ambiguis, pe-
riculosis, imò secundum literam apertè falsis, memine-
rit, vnà cum Collegis tenere ὑποτύπωσιν sanorum verbo-
rum.

Equidem si Regeneratio pertineret ad substantiam Ba-
ptismi (ficut Huberus somniat) tunc sanè quibuscunq; con-
ferretur Baptismus, eos etiam regenerari necessum foret. Per-
tinere autem regenerationem ad substantiam Baptismi (quam nos ad effecta siue fructus referimus, secuti Catechis-
mum Lutheri) id verè Huberus in æternum non euincet, neq; habebit VLLVM Theologum hac in parte ὁμόφωνον.

Itaq;

Itaq; si planè in hac opinione versatur, hypocritas illos in Baptismo propter intentionem Dei regenerati reuera (sicut in priuata collocutione dixerat) & opus regenerationis (vt charta eius indicat) in ipsis esse peractum, & Regenerationem illis CONFERRI, hypocritas ipso tempore Baptismi laborantes ὑποκρίσεως vitio, τῇ κτήσει regenerari, nouerit, opinionem istam suam euerti omnibus ijs argumentis, quæ modò recensuimus.

Nec tantillum subleuat eum adiecta determinatio, quoad Deum. Aliàs, quemadmodum D. Huberus ait, infideles illos, dum in perfidia sua baptizantur, regenerari, quoad Deum, ita licebit etiam asserere, ipsos esse fide præditos, quoad Deum, siquidem intentio diuina in Baptismo non minùs eò tendit, vt homini conferatur fides, quàm vt conferatur ei regeneratio. Si verò intentio Dei huc vsq; se non extendit, vt talis in impœnitentia persistens fide donetur; vtique nec eò vsq; se extendet, vt regeneretur. Et quid non ex illa Dei intentione concludi posset? Nónne intentio Dei finem illum habet propositum, vt homo SALVETVR per Baptismum, Tit. 3, & 1. Pet. 3 Ergò ne saluatur Hypocrita? Imò non saluatur, sed profundiùs damnatur, aggrauatur ei iudicium Domini, quòd peruerso corde se Christianismi sacris initiari sinit.

Et quantum absurditatis chaos ex hoc argumentandi genere sequatur, etiam circa reliquas Ministerij Ecclesiastici partes, dictum est in capitulo primo de Electione.

Suntq; hæc, quæ D. Huberus in Scripto contra nos disseminato profert, manifestissimè falsa, planeq; contradictoria. Quæ enim hæc est renascentia, quæ stare cum infidelitate impœnitentiaque possit? Et quis tàm prodigiosè amens sit, qui hypocritam perfido corde suspicientem Baptismum, putet à Deo reputari pro filio & hærede, contra illud Ioh. 1. Dedit potestatem

uitatem filios Dei fieri HIS, QVI CREDIDISSENT in nomen eius. Quomodo VERE ABSOLVTVS à peccatis sit hypocrita impœnitens, quomodo à natiua labe EXPVRGATVS hypocrita? Quomodo exhibita & effusa super eum dona GRATIÆ cœlestis, QVÆCVNQVE AD νἱοθεσίαν & REGENERATIONEM pertinẽt. Sunt hæc portenta in Ecclesiis reformatis prorsus inaudita.

Operationem tribuimus Deo in Baptismo impœnitentium, sed operationem non regenerationis, sed IVDICII & DAMNATIONIS, teste Refutatione Orthodoxi consensus.

Dicta Pauli Rom 6. & Galat. 3. quod attinet, dicimus, fructum esse Baptismi, vt mortis Iesu Christi participes fiant baptizati, & Christum eo modo, quem Apostolus ibi nobis enarrat, induant. *Dicta Pauli Rom. 6. & Gal. 3.*

Non sanè reijcimus Diui Augustini distinctionem, dicentis: Quosdam induere Christum ad Sacramenti perceptionem, quosdam verò ad vitæ sanctificationem. Quòd autem vult Huberus, Hypocritas induere Christum ad regenerationem vsq;, id verò ex Apostoli dicto euincet nunquam.

Quòd enim illud Pauli (Quotquot baptizati estis, Christum induistis) D. Huberus torquet ad eorum etiam baptizatorum astruendam regenerationem, quorum cor in ipso adu Baptismi colligatum est iniquitate, & felle amaritudinis repletum: facit hoc præter Apostoli mentem, qui suam assertionem ita limitat, vt vltra credentes baptizatos extendi illam nolit: OMNES, inquit, filij Dei estis, eò quòd CREDIDISTIS Christo Iesu. Nam quicunq; baptizati estis, Christum induistis. Quòd ergò D. Huberus hinc infert, etiam hypocritas regenerari, seu regenerationem accipere, & hanc eis conferri; id verò Paulo Apostolo nunquam in mentem venit.

Fallitur autem D. Huberus in eo etiam, quòd scribit, Nisi " hypocritæ in Baptismo regenerationem accipiant, nun- " quam porrò eos saluari, quia sine renascentia, quæ fit per "

» aquam & Spiritum, nullus in regnum cœlorum concedatur » introitus, & rebaptizari non possint.

Quasi verò Deus præter Baptismum non habeat Regenerationis & Conuersionis medium aliud, nempe VERBVM? Siquidem & verbum est organum Regenerationis, sicut scriptum est, 1. Pet. 1. Renati estis non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem viuentis Dei.

Certè Diuus Petrus ad Simonem Magum, qui ipse quoque putatur fuisse Hypocrita, cùm baptizaretur, expresè dicit: Resipisce à malitia tua, & roga DEVM, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui.

Itaque si talis per Verbum deinde flectatur ad pœnitentiam, tùm Baptismus anteà sine fide perceptus, iam conuerso incipit esse salutaris, eoq; se solari in omni tentatione potest efficaciter ac solidè.

Quanquam enim fructus Baptismi fuit per hypocrisin & infidelitatem aliquandiu suspensus & interuersus: Tamen, quia Baptismus ipse, ratione substantiæ, verus est & integer Baptismus, & promissio Dei annexa Baptismo, (quòd hominiâ peccatis ad Deum conuerso velit vi semel initi Baptismi esse Deus propitius) ex parte Dei non vacillat, nec mutatur: Ideò quandocunque resipiscit homo, & ad Christum Iesum se conuertit, inuenit iam in Baptismo suo beneficia ibi deposita, quæ priùs ob fidei defectum non possidebat, hoc est, inuenit gratiam Dei, remissionem peccatorum, ἀθανασίαν & perpetuam salutem.

CA

CAPVT IIII.

DE ECCLESIA.

LOCVTIONES, quibus D. Huberus in Articulo Electionis vtitur, ita sunt comparatæ, vt neq; locum Theologicum de Ecclesia intactum relinquant aut incorruptum.

Hactenus docuerunt Orthodoxi, Extra Ecclesiam non esse quærendam salutem, quemadmodum olim extra Arcam Noë nemo seruabatur ab aquis diluuij. At quomodo non extra Ecclesiam salus esse dicenda est, si ex Hypothesi Huberianæ assertionis, Electio generalis quædam est, iustificatio & remissio peccatorum generalis, generalis adoptio, &c. quæ non solius Ecclesiæ bonum peculiare, sed omnibus gentibus & populis infidelibus adeoq; toti pariter mundo commune est?

Secundò contra Pontificios vrgentes solùm visibilem suam Ecclesiam visibilibus notis insignem, disputârunt huc vsque nostri, Ecclesiam duplici considerari modo. Aut enim Ecclesiæ nomine venire cœtum vocatorum, sub quo multi sunt hypocritæ, tanquam zizania & paleæ à tritico olim segregandi: Aut Ecclesiæ nomine propriè venire Ecclesiam inuisibilem, quæ sit cœtus verè credentium, & Prædestinatorum ad vitam æternam.

Quam definitionem à Ioanne Husso Pontificiæ Synagogæ oppositam D. Lutherus approbauit, vt vnum ex sinceris Articulis, quorum veritatem sanctus ille Dei Martyr sanguine suo obsignârit.

At si ad vitam æternam electi sunt omnes simpliciter homines, haudquaquam leuiter obscuratur & concutitur ea distinctio Pontificijs hactenus opposita.

Nec mediocriter obfuscatur D. Huberi dogmate Articulus symboli Apostolici: Credo sanctam Ecclesiam. Quod

Epitheton sanctitatis vniuersi Doctores hactenus iudicârunt esse notam secernentem hunc peculiarem in terris populum à reliquis non sanctis, & non fidelibus.

At D. Huberus hunc sanctitatis titulum etiam profanis gentibus, Dei & Christi penitùs ignaris, accommodans, quid facit aliud, quàm quòd Ecclesiam Christi cum Synagoga Satanæ, adeoq; cum Turcis, Iudæis & Gentibus imperitè confundit? Ne verò quicquam ei affingere velle videamur, recognoscantur ipsiusmet verba. In libro Germanico Ambergensibus dedicato, pagina 168. & 169. ita scribit: Hoc reperitur (in scriptura) quemadmodum Aduersarij concedunt, imò concedere coguntur, quòd Deus nominet Electos, quos aliàs suos dilectos nominat, aut quos à lapsu Adæ per suum Filium redemit. Atque hîc sacra Scriptura NVLLAM facit differentiam inter homines, vbicunq; Apostoli & cuicunque de Euangelio Christi, in quo mundi redemtio continetur, concionati sunt. Nam eos OMNES atque SINGVLOS nominârunt DILECTOS Domini, SANCTIFICATOS, redemptos, ELECTOS. Et mox: Quàm verè Deus in Filio suo instituit reconciliationem cum vniuerso mundo, & quàm verum fuit, quòd Christus pro omnium hominum salute mortuus est: tàm etiam fuit verum, quòd Deus IN Filio suo ipsos OMNES dilexerit, & à lapsu Adæ redemerit, & ad gratiam suam ELEGERIT, & in Electo suo illos sibi elegerit. In Christo enim omnis hæc laus consistit, & acquirit eam GENVS HVMANVM ex ipso, quòd vocatur genus ELECTVM ET SACERDOTIVM DEI. Hæc D. Huberus.

Iure in ipso reprehenditur, quòd locum Petri (Vos estis genus Electum, regale sacerdotium) ad vniuersum extendit mundum, & quosuis in orbe homines, gentes & populos. Certum enim est, de sola ibi Ecclesia verba fieri. Nam postquam de impio mundo disseruerat Apostolus, quomodo ille repro-

reprobârit angularem lapidem Iesum Christum, mox per antithesin subiungit: Vos autem genus Electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum accessit, vt virtutes prædicetis illius, qui è tenebris vocauit in admirabilem suam lucem.

Ostendit hîc indicata Antithesis, Petrum hisce verbis affari Christianos Ecclesiamque veram, eamque luculentissimè secernere ac disterminare ab ijs, qui lapidem angularem Iesum Christum reprobârunt. Quæ sola antithesis audaciam Huberi frangere debebat, ne illa elogia sanctorum ijs etiam tribueret, à quibus Petrus ea per dilucidam contentionem seiungit. Patet hoc etiam ex eo, quòd ex Mose repetit Apostolus Petrus ea, quæ de genere Electo & regali sacerdotio commemorat, quibus titulis Deus olim populum Israëliticum præcunctis gentibus Deo in peculium ascitum esse docuit, Exod. 19. Id quod Petrus iam sub regno Christi ad Christianos Noui testamenti accommodat. Argumento etiam est, Ecclesię, & non infidelium populorum hîc meminisse Petrum, quia gentem SANCTAM nominat, eiusmodi titulum tribuens, qui ex tenore Articuli Symboli Apostolici debetur Ecclesiæ. Denique quòd populum nominat è tenebris in Dei lucem euocatum: cùm quidem populi infideles adhuc suis tenebris inuoluti hæreant, neq; luceat eis lux Euangelij, glorię Christi, Esai. 9. & 2. Corinht. 4.

Omittimus hîc, quòd inscriptionem Epistolæ ad Ephesios scriptæ (vbi Electorum & adoptatorum in filios fit mentio) ad totum genus humanum refert. Id enim suprà excussimus. Certè excusationem haud facilè admittit corruptela, qua inscriptio prioris Epistolæ a Corinthios deprauata est, & ad totum mundum (atq; sic ad Gentes etiam infideles) relata, ex qua aliâs Scriptores Orthodoxi definitionem Ecclesiæ soliti sunt extruere.

Scripto Ambergē sibus dedicato.

Sic enim pagina 172. Si, inquit, consideramus Dei auxilium & dilectionem omnibus hominibus declaratam: Nominantur non tantùm OMNES HOMINES Electi Dei antè fundamenta mundi ad gratiam, sed appellantur etiam dilecti Dei SANCTIFICATI Dei. Et ad hæc verba notat D. Huberus in margine Epistolam simul & caput, nempe 1. Corinth. 1.

At lucidissimus verborum Pauli contextus sole clariùs ostendit, Paulum Epistolam suam inscribere non Ethnicis, haud dum ad agnitionem Christi conuersis, sed (vt verba palàm sonant) Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi; Sanctificatis. Quo titulo conuersos & à peccatis sanctificatos Christianos designari Paulus ipse in ea Epistola 6. cap. refert, inquiens: Neque scortatores, &c regni Dei hæreditatem accipient. Atque hæc eratis quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Addit verò in suæ Epigrapha Paulus: Vocatis sanctis. Agit ergò de sanctis, qui sint intra cœtum Vocatorum, non extra eum. Rursum adijcit: Vnâ cum omnibus, qui inuocant nomẽ Domini nostri Iesu Christi, in quouis loco vel suo vel nostro. Ergo nihil ibi tractat de his, qui nomen Christi non inuocant. Quin capite quinto, posteaquam illos ob scortationem, aliaque flagitia reprehenderat, apertè subijcit: Quid enim ad me attinet etiam de his qui foris sunt iudicare? nonne de his, qui intus sunt, iudicatis? Eos verò, qui foris sunt, Deus iudicat. Etiam profligate istum, qui malus est ex vobis ipsis.

Hæc aliaque docent non obscurè, pertinere Epigraphan Epistolæ Paulinæ ad Ecclesiam, & non ad infideles in Mundo gentes: imò titulum illum sanctitatis cœtui vocatorum nõ nisi propter latentes in eo cœtu electos tribui, & non ipsis per se hypocritis conuenire, sed tantùm verè credentibus,

bus, quemadmodum appellatio frumenti, non zizanijs aut paleis, sed tritico competit, quantumuis tritico intermixtæ sint & paleæ.

Neque est, vt hæc, quæ de Ecclesia modò dicta sunt, leuicula esse putemus, neque magnoperè existimemus pugnandum, quomodocunque aliquis enumerata dicta interpretetur. Etenim si Epigraphas illas Epistolarum ad Corinthios & Ephesios, si insignem illum locum Petri, (Vos estis genus electum, &c.) vnde hactenus doctrina de Ecclesia fuit hausta & explicata, huiusmodi glossis eneruare libeat, quid obstet, quò minus & alia dicta, quæ vnquam vspiam de Ecclesia in scripturis occurrunt, ad cæteros etiam populos infideles torquere fas sit? adeoq; limites Ecclesiæ planè diruere & ex gemina Ciuitate, Dei & Satanæ, posthæc vnam efficere, præsertim si etiam ijs, qui sub regno Satanæ sunt, tribuatur generalis electio, remissio peccatorum, iustificatio, sanctificatio.

Quemadmodum iam manifestè incipit etiam epigrapham Epistolæ prioris Petri aptare etiam infidelibus populis, id est, toti mundo, cùm Petrus scribit electis secundum præcognitionem Dei Patris, cùm tamen apertè electos sic ibi describat, quòd sint REGENITI in spem viuam, in hæreditatem conseruatam erga ipsos in cœlis, quòd virtute Dei custodiantur, per fidem ad salutem, quòd finem fidei consecuturi sint, salutem animarum.

Quin eò prorumpit ipsius audacia, vt non dubitet de omnium absolutè hominum Electione exponere verba Pauli 2. Thessalonicens. 2. vbi Apostolus electos à reprobis (quorum in immediatè præcedentibus meminerat) euidentissimè secernit, inquiens: Nos autem (scilicet qui non ita approbamus iniustitiam & mendacium, sicut impij illi, de quibus modò disserui) debemus gratias agere Deo, semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit

vos

vos Deus ab initio ad salutem per SANCTIFICATIONEM Spiritus ac FIDEM veritatis, ad quod VOCAVIT vos per Euangelium nostrum, &c.

Hanc pericopen, agentem de dilectis in Domino, de his qui habent sanctificationem Spiritus & fidem veritatis, de vocatis per Euangelium, velle accommodare toti generi humano, atque sic etiam infidelibus populis ac personis, extremæ non modò insciticæ, sed dementiæ est. Atque hoc facitare D. Huberum, docent *ipsius* chartæ recentes, quas subinde plures spargendo, plures errores & absurditates ex latebris sui cordis in apricum & apertum profert.

Nec verum est, quòd asserit D. Huberus, Apostolos, quocunque peruenerint Euangelium prædicaturi, appellasse sine discrimine omnes homines, DILECTOS Dei, Sanctificatos.

Diuersum enim & iam est astructum, & refellitur assertio D. Huberi etiam libro Actorum Apostolicorum. Quando enim Paulus venit ad Iudæos, timentes & colentes Deum, salutauit eos fratres, præsertim quia etiam secundum carnem fratres eius erant, ex eâdem gente oriundi. Quãdo vicissim ad gentes venit nondum conuersas, & merè adhuc infideles: nulli tales ibi leguntur tituli, qualibus in inscriptionibus vtũtur Apostoli, cùm ad Ecclesias scribunt. Quod in primis duabus concionibus ad Lystrenses, Actorum 14. & Athenienses, Actor. 17. perspicuum est.

Obstrepit Huberus, referri hos titulos in PROPRIO suo significato ad consilium Dei eiusq; misericordiam, quam indiscriminatim omnibus prædicabant Apostoli? Hæc obiectio si quid valeret, pariter licuisset, gentes etiam nondum conuersas appellare conuersas, illuminatas, beatas, saluatas, & quid non? Quod de ἐπιγραφῆς Epistolarum ait, in significatione, quę applicationem fidei spectat, Apostolos, eos ad quos scribunt, sanctos & sanctificatos, & electos appellare non potuisse,

misse, quia nec corda hominum perueſtigare potuerint, nec videre, qui finaliter erant credituri.

Reſpondeo, Neque hoc eis erat opus. Conſtabant nihilominùs hi tituli per omnia ſalui, quia indubitatò ſciebāt, vbicunque collecta eſſet per verbum Eccleſia, ibi ſemper eſſe quoſdam Electos & verè credentes & ſanctificatos, ſiquidem verbum Dei non cadit irritum, nec redit vacuum, Eſa. 55.

Vt ſummatim comprehendam, diſtinguendum eſt inter notitiam συγκεχυμένην, generalem & confuſam, & deinde inter notitiam diſcretam. Notitiâ συγκεχυμένη nouerant Apoſtoli, vbicunque eſſet Eccleſia & cœtus vocatorum, eſſe ibi aliquos electos. Notitiâ verò diſcretâ non ſciebant certò & indubitanter, quæ indiuidua verè crederent in Chriſtum & ſalutem tandem conſecutura eſſent: tametſi ex fructibus fidei optimè de alijs iudicarent. Et ipſimet Apoſtoli hanc diſcretam cognitionem non ſibi, ſed Deo & Principi Paſtorum, Ieſu Chriſto, tribuebant, dicentes: Dominum noſſe, qui ſint ſui, 2. Timoth. 2.

Ex his itaque hactenus pertractatis apparet luculenter, Huberum tale fouere & propugnare dogma, quod ex Schvenckfeldianiſmo, Papiſmo, Anabaptiſticis furoribus, & Puccianiſmo conflatum eſt. Schvenckfeldianiſmum ſapit, quòd eos etiam populos, qui nec verbum habent, nec Sacramenta, immediatè abſque verbo & Sacramentis ſanctificatos & iuſtificatos eſſe comminiſcitur. Papiſmum redolet, quòd de finali euentu perſeuerantiæ vſq; ad finem putat neminem eſſe poſſe certum. Anabaptiſticum eſt, quòd ex generalicius Iuſtificatione & ſanctificatione neceſſariò ſequitur, homines naſci ſanctos & iuſtificatos, etiam antequam baptizentur. Denique cum Puccij furoribus coïncidunt fundamenta,

En 64

menta, quibus vterque vtitur, tametsi ad diuersum scopum tendant.

Ideoq; nisi in hoc Articulo Prædestinationis suas ἀκαταληψίας agnouerit & abiecerit, & posthac receptam ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων sanctè & religiosè seruârit: reliquos verò errores de vniuersali Iustificatione, sanctificatione omnium populorum & gentium incredularum, regeneratione hypocritarum, &c. ingenua παλινῳδίᾳ retractauerit: testamur coram Deo & iudice vniuersorum Christo, nos cum ipso pacem & fraternitatem colere non posse.

FRANCOFORTI AD MOENVM,
excudebat Ioannes Spies.

M. D. XCIIII.